



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Antiqvissima Fides Et Vera Religio. Christianam Fidem
Mox À Primis mundi exordijs ad hæc usq[ue] tempora
durasse eamq[ue] ueram & indubitatam esse, Heinrychi
Bullingeri Apodixis, siue clara &t ...**

Bullinger, Heinrich


Tigvri, 1544


VD16 B 9603

urn:nbn:de:hbz:466:1-35388



Th. 1473.





ANTIQUISSIMA FIDES ET
VERA RELIGIO.

CHRISTIANA

NAM FIDEM MOX À PRI
mis mundi exordijs ad hæc usq; tempora durasse,
eamq; ueram & indubitam esse, Henrychi Bul
lingerii Apodixis, siue clara & euidens demõstra
tio, è Germanico in Latinam linguam traducta,
per Diethelmum Cellariũ Tigurinum.

IN hoc Enchiridio (candide Lector) habebis bre
uissimã historiã, cum temporũ supputatione sacrosanctæ
nostræ fidei, deq; illius præcipuis & operibus & profes
soribus: habebis huius item incrementa & defectus ac
calamitates iam inde à prima mudi origine, ad hæc usq;
tempora. Breuissima ergo periocha est utriusq; Testa
menti, & probatio, quod per solam fidem in Christum
Iesum omnes pij deo & placuerint, & salutem
fuerint consecuti.

Hieronymus Hannigmund Vuarburg
I E S U S. *professor 20 179*

H I C est filius meus dilectus, in quo mihi bene
complacitum est, ipsum audite.

Matthæi 17.

CLARISSIMO VIRO

DOMINO IOANNI FRISIO,

apud Tigurinos ludimoderatori fidelis-
simo, Diethelmus Cellarius Ti-
gurinus, S. P. D.



VN QVAM ullum fuit seculum, uir
clarissime, quo circa religionem nō maximæ
fuerint contentiones, ab ipsa hinc mundi ori-
gine. Fieri enim non potest (nisi prorsus in
pecudes degenerent homines) quin si mirabilem mundi fa-
bricam intueatur, si syderum motus, si denique ipsam rerum
ac temporum iucundā uicissitudinem, protinus inueniant, di-
uinum quoddā esse numen, cuius potentia hæc cōdita sint,
cuius etiam prouidentia & diuina uirtute hæc omnia regan-
tur. Cæterum ut humanarum uirium non est ad diuinarum
rerum cognitionem peruenire, nisi diuino flamine renati di-
uinitus trahantur, uel ipso Christo Saluatore nostro teste Io-
ann. 6. sic factum est, ut omnibus sæculis uarijs opinionibus,
uarijs item dogmatibus homines inter se digladiarētur. Hæc
insania, ut in gentiliū animis mire grassata est, quod philoso-
phorum de summo bono uariæ, eaq; inter se contrariæ opi-
niones abunde satis testantur, ita & Israeliticæ genti uiolen-
tas iniecit manus, quod multiplices ipsorum sectæ, religione,
ritibus, moribusq; prorsus inter se contrariæ, facile ostē-
dunt. Verum ne & Christiani hac calamitate essent immu-
nes, idem illud uirus etiam in ipsorum uenas transfusum est,
quod ex innumerabilibus Monachorum sectis liquido conspi-
cimus. Et quandoquidem, uel Apostolo teste, Sectas etiam 2. Cor. 11.

inter electos esse oportet, quo qui probati sunt, manifesti fiant, factum est, ut Euangelij luce coruscante, Anabaptistarum insana hæresis sese ingereret. Postremò etiã, qui sibi uidentur perbelle sapere in negotio Euangelij, imò lumina Ecclesiæ Christi sese esse arbitrantur, in, nescio quam mentis cæcitã delapsi, de Christi corpore, nescio quas insolubiles, & non nisi multorum cum scandalo finiendas quæstiones mouent. Quam ecclesiæ ex animo deplorandam calamitatem, cum D. Heinrychus Bullingerus, Ecclesiæ Christi apud nos uigilantissimus ac fidelissimus Antistes, non absq; dolore cerne-
ret, atque simul à pijs fratribus sollicitis urgeretur precibus, ut instanti, & indies magis magisq; ingrauescenti malo in lucem æditis monumentis præueniret, Tractatum hunc de uera & antiqua fide, pro rerum, locorum, personarum ac temporum conditione, materna nostra lingua conscripsit: cuius sinceritatem, utilitatem, atque etiam dignitatem cum maiestate condigne celebrare, infantia mea non potest, neq; conabitur etiam. Seipsam supra modum commendabit libelli diuina ueritas, si à pijs candidisq; legatur iudicibus. Cæterum cum author innumeris negotiorum procellis modo non obrueretur, atq; interim bene cordatis hominibus fermè indignum facinus uideretur, ut tãtus ille thesaurus, & margarita illa preciosissima, quæ est ueræ & antiquæ fidei cognitio, Germanis pro rerum & temporum conditions scripta, alijs interim nationibus præriperetur. Et ego haud multo ante, eiusdem authoris libellum (cuius inscriptio est, Quomodo cū egrotantibus & morientibus agendum sit, ut in fide instituti, melius sese ad mortem præparent) utcunq; quantum ingenioli mei uires permiserant, Latinitate donassem, non tam horum, quàm etiam ipsius authoris hortatu, ut in pio argumẽto exercerer,

☉

et capita nostræ religionis (cuius omnium indignissimus minister sum) menti meæ firmiter insculperem, etiã hunc transferendum sumpsi, sperans fore, ut uel aliquem fructum ferat in illorum pectoribus, qui minus dediti affectibus, cum iudicio legent. Cæterũ circumspicienti mihi, cui hos meos labores potissimum dicarem, ut uel illius nomine cõmendatiores essent apud multos, tu solus occurrebas, qui ad hãc rem præcæteris idoneus uidebaris. Fecit enim tua humanitas, cum morum comitate, ut in Gallia (quò studiorum gratia profectus eras) multorum animos indissolubili amicitie uinculo tibi deuinxeris. Vnde cateruatim has nostras regiones transeuntes ad te ceu patronũ ac omniũ studiosorũ Meccænatem conuolãt, et quæcunq; à te aut præsentibus ipsis dicuntur, aut absentibus scribuntur, supra modũ benigno animo accipiunt. Sperauĩ igitur tantum Frisij nomine audito, multos Lectores longè æquiores futuros esse. Verum et si hæc parum me mouerent, quæ tamen pio homini, Ecclesiæ prodesse studentĩ, præcipue spectanda sunt, ego certe Tygride immanior essem, si nõ gratitudinis ergo, ubicunq; datur, animum meum gratum aperirem erga te, qui uel animam tuam, si necessitas expeteret, promptissime in me effunderes. Vale Frisi charissime, atque Diethelmũ tuum solito amore complectere.

E Muro nostro agri Tigurini ad lacum Gryphicum, pridie Calendas Martias, Anno

M. D. XLIII.

A 3

P R O B O, H O N E S T O, A C

prudenti uiro, Ioanni Heinrycho V uincteli, fratri
suo charissimo, nunc Basileæ agenti, Henry
chus Bullingerus, S. P. D.

QUAMVIS non ambigam, imò certo sciã tibi
(dilectissime frater) nulla in fide domini nostri
Iesu Christi opus esse institutione. Quippe qui
hanc nõ uerbis tantũ, sed & re ipsa, per multas calamitates
& opprobria, deniq; per exilium, & iacturam omnium facul
tatum, manifeste testificatus, intrepideq; confessus sis: tamen
ornandæ, promouendæ & propagandæ ueræ fidei nostræ gra
tia, & ut aliquam hinc utilitatem capiant harum rerum im
peritiores (quo potissimum nomine tu ad scribendum impel
lebas) placuit, De uera, antiqua, & indubitata fide nostrã,
Tractatum hunc conscribere, ac tibi soli dedicare. Princi
pio, ut imbecillium animi aliquo modo confirmentur, dignita
te uidelicet ac magnificentia sanctissimæ nostræ cõfessionis,
cuius fundameta adeò firma, adeoq; incõcussa exitere, ut his
ueterũ sapientissimi, doctissimi, iustissimi & sanctissimi quiq;
ab ipso mudi exordio innixi fuerint. Dein, ut aliquam saltem
(si modo nõ pergãt esse incorrigibiles) habeãt admonitionem
& institutionẽ, qui hanc nostrã fidẽ, nõ solum antiquã, sed anti
quissimã, uerã, optimè fundatã, indubitatã, impollutã ac syn
cerã, tanquam nouã & hæreticã proclamãt, modis omnibus
proscindũt atq; persequũtur. Deus Opt. Max. tam illis, quã
nobis, immensam suã gratiã & misericordiã largiatur, qua il
luminati, soli domino nostro Iesu Christo nos cõmittamus,
ac illius doctrinam & dictis & factis exprimamus. Amen.
Tiguri, mense Martio, Anno 1537. Salutat te & uxore tuã
charissimã, frater meus Leo Iudæ, tuus consobrinus.

QVOD CHRĪ

STIANA FIDES À MVNDI

creatione durauerit, & per eam solam omnes pij deo
placuerint, eternamq; fœlicitatem consequuti sint,

Apodixis, euidentissimâq; ex sacris literis
demonstratio.

CAPVT PRIMVM.



NIMVS mihi præfagit, non defu *Christianæ*
turos simplices quosdã Christianos, *fidei funda*
qui hoc meũ propositũ summopere *menta non*
admirentur: uana nimirũ opinione *demũ anno*
persuasi, Christianam fidem, sub Ti- *ab hinc*
berij Cæsaris imperio demum primam sumpsisse *1500 ias*
originem: cum uel ex Euãgelio Lucæ pateat, deci *cta esse.*
moquinto primum Tiberij anno, Ioannem Ba-
ptistam Euangelium prædicare cœpisse, omnesq;
historiæ uno ore testentur, Iesum Christum, mun-
di seruatorem, decimo octauo anno imperij Cæsa-
ris Tiberij esse crucifixum.

Ceterum fateor & concedo, tum demũ omnes
Prophetias esse completas, et quod uera salus con-
summata est. Fateor tum demum preciosissimos
Christi thesauros, largius quàm ante hac unquã,
omnibus gentibus annunciatos, & cõmunicatos
esse. Veruntamen eadem salus ante multa sæcula
per prophetias adũbrata, patribus in Christo Iesu

ANTIQUISSIMA FIDES

promissa fuit, quo factum est, ut nihil minus Christum in spiritu præuiderint, atque omnē spem ac fiduciam in illum solum collocarint, atque nos. Quanquam nobis ista singula clarissime proposita, ipsaq; re præstita siue exhibita, perfectissimeq; expleta sint, quæ illi sub spe quadam, nō quidem minus certa, sed tamen aliqua ex parte obscuriore ardentissimis expectabant animis. Hæc ita sese habere, neque solus ego, neq; primus assero. De antiquitate fidei mecum consentit & diuus Eusebius episcopus Cæsariensis, qui ante mille & ducetos annos floruit. Cui astipulantur & alij Christiani Doctores, qui multo tempore hanc eandem rem, ante me, dilucidius & scriptis, & uita uoce tradiderunt. Sic enim inquit Eusebius libro primo Ecclesiasticæ historiæ cap. I.

Omnes ergo illos, qui ab Abraham sursum uersus supputatione facta, usque ad primum hominem, generationis ordine conscribuntur, etiamsi non nomine, rebus tamen & religione Christianos fuisse, si quis dicat, non mihi uidetur errare. Siquidem elapsis aliquot annis post Christi ascensionem, discipuli atque fideles demum Christianorum nomen accepere, teste Luca Actorum undecimo. Cum enim Christiani nomen hoc indicet, quod Christo quis credens, per eius doctrinā, fidem, pietatem ac iustitiā teneat, & studijs diuinæ inhæreat sapiētiae, atque omne, quod ad uirtutem pertinet, exequatur. Si, inquam, hæc sunt, quæ uocabulo Christiani nominis indicantur, & ueræ
cum

eum religionis sectatorem designant, hæc erant etiam illi sancti (de quibus supra diximus) uiri, quod Christiani nunc esse profitentur. Hæc hæc tenus ex Eusebij Christianissimi doctoris, histo. eccle. recensuimus. Verum ne quis suspicetur hoc nostrum ædificium super humanũ ac alienum fundamentũ collocatũ esse, animus est hanc rem scripturæ testimonijs illustratã paulò altius repetere.

*De Bonitate benignitateq; Dei, & hominum
malitia.*

CAPVT II.

DEVS, qui per se ab æterno adeò perfectus est, ut eius perfectioni ac plenitudini nõ possit quicquam uel addi, uel adimi, qui deniq; nulla creaturarũ ope, nullo auxilio, quo perfectior reddatur, opus habet, ex propria sua natura, quæ per se benigna ac mitis est, hoc est, ex mera gratia ac misericordia & quia beneficium præstare uoluit hominem creauit. Veruntamen priusquam eum formaret, tantis, tamq; inenarrabilibus diuitijs ac donis obruit uerius, quàm donauit, ut humanæ linguæ magnifica hæc munera pro rei dignitate extollere, planè negatũ sit. Cum enim apud se decreuisset creare hominem, iamq; tempus illud adesset quod inscrutabilis illa sapientia & prouidentia, ante infinita sæcula constituerat, omnium primo domicilium homini utilitate, ornatu & splendore iuxta admirandum præparauit. Atq; in hoc perficiẽdo primum parabat Dominus materiam,

De creatione cœli & terræ.

ANTIQUISSIMA FIDES

quam post creatam, immissam & diffusam lucem pulchre digereret, & quoduis in suum finem disponeret, hoc scilicet modo, Supra abyssum, hoc est aquarum profunditatem, in qua terra adhuc latitans, fluctuabat, firmamentum extendit, & interstitium quoddam constituit, cui cœlum ipsum ceu tentorium quoddam induxit: deinde terram ex aquis euocans eminere quantum hominū habitationi sufficeret, fecit: ac aquis ipsis terminos, & ueluti limites constituit, quos nō transirent, sed ueluti murus quidam suo in loco consisterent. Atque hæc tria, aqua scilicet, terra & firmamentū, id est extensio, æther inquam, & clara illa aeris regio imminens capitibus nostris, & pertingens inde ad summitatem usq; cœli, substantialia quædam & potissime partes sunt huius mundi, humano generi tanquam aptissimum aliquod domicilium inseruientia. Porro erant hæc omnia inculta & rudia mox ab initio, omniq; ornatu carentia. Proinde omnipotēs Deus, artifex huius machinæ singularis, pro singulari sua prudentia & affectu erga genus humanū paterno ultra manum admouebat, ut admirabile illud, & amœnitate insignis opus ad umbilicum (quod aiunt) perduceret: atq; non tantum quod ad ornatum, uerū etiam quantum ad fructū et utilitatē, futuro incolę prepararet. Ac ante omnia, cū diuina prouidentia homini terrā ut incoleret destinasset, uiridi ipsam exornat regumēto, id est, uiridi cespite: quē insuper uariega-
bat flosculis & omnigenis herbis, quæ non solum

ocu

*De ornatu
cœli & ter-
ra.*

oculos aspicientium pulcherrima forma et elegantissimis coloribus capiunt amabiliq; fragrantia nares reficiunt, sed & utilitatem in cibis et omnis generis medicaminibus conficiendis, non exiguam præstant. His addebat præterea omnis generis arbores, plantas ac frutices. Terram insuper limpidissimis ac saluberrimis fontibus, hinc inde scaturientibus, amœnissimis item riuis & fluminibus rapidissimis lacubusq; amplissimis rigabat. Et (quod admiratione dignissimum erat) nolebat terram ubiq; esse æquam ac planam, sed hinc inde intumescere, quod etiã nõ caret singulari quadã & utilitate & iucunditate: Hinc enim factũ est, ut ualles, campos patentes, montes & colles habeamus, quorum singula non absque ratione sic condita sunt, quantumq; ad fructum & amœnitatem attinet, nobis mire inseruiunt. His absolutis egregius ille atq; diuinus mundi artifex & cœli firmamentum locupletare atq; exornare cœpit. Ergo illud diuina uirtute prius extensum, nunc sole & luna, stellis atq; planetis, quarum aliæ fixæ, aliæ erraticæ sunt, ad admirationem usq; distinxit. Horum omnium decor tantus est, tamq; admirabilis, ut eorum laudes nemo pro rei dignitate satis extulerit. Cæterum hoc est illorum officium, cuius gratia locum in expansione illa meruerunt, ut nobis lucem præbeant, ut ortu & occasu atq; etiam motibus suis, tempora, annos, menses, diesq; conficiant, denique etiam diem & noctem distinguant.

His

ANTIQUISSIMA FIDES

His cōfectis ac dispositis, aquę adhuc steriles & nondum excultę uidebantur. Cælum enim syderibus erat ornatum, terra quoq; sua gramina & germina, suasq; arbores habebat, sola aqua præ illis torpida & inculta erat. Itaq; et in illa quoq; eadem miracula beneficiaq; quę in ornatu cœli & terrę, plenissime exhibuit. Nam in aquis, & præcipue in mari, ex miraculis diuina innotescit potentia, cum hinc inde apparent, præter pisces, monstra marina, forma, magnitudine, colore naturaq; dissimilima: in quo, plus quàm admirãdo opere, artificis diuinum ingenium elucescit. Quin & in aere amplius excellentem atq; inæstimabilem suam benignitatem, potentiam ac sapientiam euidentissimis signis & argumentis ostendit, omne genus uolucrum formando: quę (ut taceam commoditates, quas humano generi præstant) etiam suauissimo cantu aures nostras demulcent. Quid quod terram adhuc locupletius & mirabilius tam cicuribus quàm feris animalibus donauit? quorũ aliqua pellibus et lana, alia opere, alia uero carnibus creandum adhuc terrę incolam iuuarent. In ea animalium creatione, aptam certè quandam, & decoram cum generum tum sexuum discretionem cernimus. Taceo interim preciosissimos thesauros gemmarum, auri, argenti, unã cum alijs metallorũ generibus, aromatibus, rebusq; preciosis, quas è terrę uisceribus eruimus, quarum hæctenus non meminimus.

Post

Postquam uero Dominus Deus locum illum *De creatio-*
 amœnitate & utilitate affluentem, pro ineffabili *ne hominis.*
 sua bonitate præparasset, tum demum ad homi-
 nem creandum se contulit, qui cunctis illis rebus,
 quas hæcenus recensuimus, & præesset & frue-
 retur. Hunc certe donis longe excellentioribus
 donauit, quàm cætera animalia, ipsumq; ad su-
 am ipsius condidit imaginem, ipsum inquam, &
 anima & corpore composuit, quorum utrunque
 perenne ac mortale fuisset, nisi mortalitatis uires
 per peccatū fuissent eneruatæ. Ex eo quippe con-
 secutum est, ut corpus corruptioni subijceretur, a-
 nima quoque multis inuolueretur calamitatibus,
 quamuis nunquam moriatur. Et primū quidem
 hominem deus bonū & omnibus numeris abso-
 lutissimum formauit, unde non immerito ad dei
 imaginem ac similitudinē creatus esse dicatur. Id
 quoque silentio prætereundum non est, quod om-
 nipotens ille mundi conditor, non contentus fuit
 tam amœno ac iucundo terræ ornatu, nisi insuper
 hortum (quem alio nomine paradysum uocant)
 insigni ac peculiari quodā splendore præstantem
 conderet, quem incolendum & custodiendum di-
 lectæ suæ traderet creaturæ. Ex eo utique nō solo
 ardentissimus dei erga hominem affectus incla-
 ruit, uerum etiam ex illo quoq; quod hominem
 nollet esse otiosum & solum, quin adiutorium
 adderet, ut commodius, cōiuncta utriusq; opera,
 hortus ille & plantaretur & custodiretur. Adiuto-
 rium illud erat uxor, quam Hebræi uiraginē uo-

ANTIQUISSIMA FIDES

cant, quam ex costa lateris eius formauit deus. Usq; adeo plene ac absolute inexhausta dei bonitas hominem absoluere uoluit, ne quicquam illi deesset, quod ad salubrem ac uitam uere beatam spectaret.

Iam è conuerso omnino æquitas ipsa expostulabat, ut ille homo, qui subtili ratione, & singulari intellectus acrimonia uoluntatisq; bonitate & uiribus præstantibus à deo præditus erat, erga eundem, qui amplissima hæc in eum effuderat dona, gratum se exhiberet, atq; benefactori creatori & domino per omnia esset obsequentissimus. Imò deus qui non modo bonus sed & iustus est, tale quiddam (promulgata lege æqua) ab homine postulabat, nimirum ut omnibus amcenissimi huius horti fructibus, ad uoluptatem usq; frueretur, tantum à fructu scientiæ boni ac mali abstineret. Id præceptum per se neq; graue neq; iniquum erat, siquidè nihil aliud postulabat, quàm obedientiã cum dilectione & reuerentia diuini numinis: in quod homo dei creatura oculos animi unice intendere, in hoc ut summum bonum & erga homines benignissimum, omnem spem & fiduciam figere, non autem ex semetipso sapere formasq; boni et mali fingere debeat, uerum (quod tutius multo est) tantum id illicitum putet, quod Deus prohibuit: è diuerso ea omnia tanquam bona ac iusta prober, quæ deus nõ solũ permisit sed & præcepit.

Cæterum ut externo quodam & uisibili signo hoc ipsum quod uerbo & mandato suo inculcasset

rat

ET VERA RELIGIO.

rat animo hominis imprimeretur altius, dominus Adamo, uisibilem ac fertilem arborem in paradiso commonstrat, ac comminando prohibet, ne ex ea quicquam decerpat: siquidem futurum esse, ut eo ipso temporis momento, quo arboris huius fructum gustarit, perpetuo perierit. Cæterum homo fidei legibus uiolatis, fidelissimi dei præceptum præuaricabatur, plus acquiescens consilio uxoris & serpentis, quam ueracissimo dei uerbo. Quæ certe magna erat ingratitude, quæ suis rationibus & inuentis plus tribueret, quam diuinis præceptis, nouas boni & mali formulas sibi præscribebat. Ex quo factum est, ut homo relicto deo, ei nec fuerit obsecutus, nec adhæserit, tanquam illi, qui unicuique hominum ex animo bene uelit. Persuasus enim uxoris suæ uerbis, & serpentis perfida calliditate, iam non amplius deo creatori suo tanquam patri fidebat, sed de illo ut maligne inuido sentiebat, qui bonam cœlestis sapientiæ partem à se absconderit atque cælarit. Quando itaque mens per incredulitatem uiciata à deo defecerat, diffidens unquam fore, ut illo patrono & largitore omnis boni, si quæ uere bona essent, consequeretur, sua ipsius manu pomum, sibi, omniq; posteritati perniciem diram allaturum, decerpebat, & de interdicto comedebat cibo, atq; ita per aliud quoddam mediū ad diuinitatis gradū aspirabat, ea ratione si quæ deessent consecuturus. Ita ex impietate, perfidia, inobedientia atq; ingratitude capitis supplicium atq; æternæ damnationis pœnam (diabolo

ANTIQUISSIMA FIDES

bolo sese emancipans, cui, relicto deo, & seruierat & crediderat) meritis, in seruitutem diaboli, & tenebrarum cæcas uoragines præcipitabatur. Atq; hæc de benignitate & fidelitate dei, simul & de hominis malitia & perfidia dicta sint.

Præmarium atque firmissimum sanctissimæ nostræ Christianæ fidei fundamentum.

CAP. III.

*De iustitia
& misericordia dei.*

IN hac igitur rerum cõditione, Deus Opt. Max. non tam honestis, quàm etiã iustissimis rationibus potuisset hominem, nõ solum tanquam fœdifragum atque contemptorẽ, repudiare, reijcere, denique affligere grauitè, sed etiam iusto iudicio condemnatum, in horrendas diaboli, tartariq; fauces præcipitare, imò ut hoc faceret, & ueritas & iustitia expostulabant. Sic enim apertis uerbis Adamo dixerat citra omnem obscuritatem, Eo ipso die, quo de fructu ligni huius comedes, morte morieris. Huic tamen iustitiæ & ueritatis rigori misericordia sese opponebat, patrocinando humanæ carnis infirmitati, ita temperans, medio quodam inuento, negotium, ut simul iustitiæ satis fieret, & humano interim per misericordiam parceretur generi. Illud uero mediũ, in quo iustitia & misericordia concurrunt, Christus Iesus est, qui ex mera dei gratia nobis donatus, pro peccatis nostris immolatus, diuinæ iustitiæ, ne quid desideraret, satisfecit, eidemq; nos reconcilians, satanæ & inferni ætissima uincula quibus uincti tenebamur, dirupit.

pit. Ipse siquidē pro omnibus mortuus est, quod *Gratia dei*
 facile possumus conijcere ex unico illo dei uerbo, *Adamo nū*
 dicentis ad Adamū, Eo die quo de fructu illo co- *riatur.*
 medes, morte morieris. Igitur quemadmodū per
 Adamum omnes mortui sunt, ita Christus quoq;
 pro omnibus nobis mortē subiit, ut per illius mor-
 tem uiueremus, atq; à tenebrarum tyrannide as-
 ferti, in regnum Christi dilectissimi filij dei trans-
 ferremur. Hoc diuinæ sapientiæ consilium, dubio
 procul ante infinita secula inicum, etiam Adamo
 post lapsum ipsius, decoro quodam ordine mani-
 festatū est, in hūc modum. Postquam homo de in-
 terdicto fructu arboris comedisset, è uestigio ocu-
 li illius aperti sunt, qbus illuminatis, cū seipsum
 consyderasset, ac nuditatem conspexisset, pudore
 suffusus est. Is itaq; qui haftenus innocenter uixe-
 rat, de uelamine sollicitus, uilissimo certe, cui non
 tantum fidebat, quin à conspectu creatoris fugi-
 tans, latitaret, tegebatur: uel per id humanæ naturæ *Peccatum*
 miseriam prodens, quæ non quicquam præter inu-
 tilia peccatis suis apud deū prætexere solet. Deus
 itaq; pauitantē ac fugitantē insecutus, ut refricaret
 uulnus, & iacturā beatissimæ uitæ, qua exciderat,
 ob oculos poneret, eiusmodi uerbis alloquitur,
 Adam ubi es? Agnoscis ne tuam miseriam? in quam
 teipsum amissa salute præcipitasti? Atque ut graui
 onere, iam iam ceruici eius imminente, hominē le-
 uaret, atq; peccati confessionē extorqueret saltē ali-
 quam, multū laborat, sed frustra. Is nanq; malitiā
 suam nec agnoscens nec confitens, tantū nudita-

ANTIQUISSIMA FIDES

rem excusat suam, quod à facie eius fugerit. Dominus itaq; urgens negotium, si quo modo culpe confessionem exculperet, addit, Quis quæso, tibi quod nudus esses ostendit? Cum & hic conatus quoque esset frustraneus, & ad cōfessionem extorquendam inutilis, subdit, Mirum ni comedisti de arbore, ex qua præceperam tibi ne comederes. Cæterum homo nec sic quidem peccatum ingenue confiteri uolens, culpam in sociam, uxorem scilicet cōijcit, idq; tam acerbis tamq; suspectis uerbis, ut planè uideretur in corde suo satis impie & iniuste deum admissi sceleris authorẽ facere: quod uel ex illo liquet, quod non simpliciter domino responderet, Vxor mihi prohibitũ cibum obtulit, sed cum indignatione quadam in hæc erumperet uerba, Vxor, quam te authore habeo, id cōsiliũ dedit. Ac si diceret, Tu ipse harum rerum omniũ caput es. Illa enim, quam tu mihi dedisti sociam, me in fraudem illexit, ut præceptum tuum præuocarer, non præuaticaturus haud dubie si illam nõ dedisses, quantumuis deus, qui uere iustus est, uxorem Adamo nequaquam dedisset, ut illum fraude deceptum seduceret, uerum potius consolationis gratia, ut tanquã uitæ socia mutuo auxilio ipsum iuaret. In hoc quoq; negotio nefanda hominis audacia cum grauissimo delicto se prodit. Cæterum ne sic quidem paternus & ardentissimus iuuandi affectus in deo extinguitur, sed omnẽ mouet lapidem, si quo modo uel uxore saltem huius calamitatis & miseriq; fontem ad confessionẽ per-

pelleret.

Gratia.

pelleret. Sed hominis pertinacia omnem dei cona-
 tum euincebat. Similes habebat labra lactucas, im-
 pius & contumax erat Adam, impia item & con-
 tumax erat Eua. Nam quemadmodum Adam om-
 nem culpam in uxorem congefferat, sic & uxor
 cacodæmonem, qui sub serpentis specie apparue-
 rat, transgressionis authorem facit. Hæc praua in-
 dolis contumacia, hereditaria quadam labe, etiam
 hodie corda hominum occupat, atque in iisdem
 alte radices egit. Quis hominum uero (dummo-
 do negotium illud, de quo nunc egimus, diligen-
 ter apud se expedit) adeo nullius esset iudicij, aut
 tantæ impietatis, qui cogitaret tantum, nedum di-
 ceret, minutissimam promissionis, iustitiæ atq; bea-
 titudinis æternæ partem, hominis aut uiribus, aut
 meritis imputandam esse? Cum luce clarius sit,
 quàm ineptus ac importunus, quamq; perditus
 ac miser homo per se sit: cui, (quantum ad propriam
 indolem attinet) omnia negata sunt, præter unum
 quiddam, quod est peccata peccatis, & inobedien-
 tiam inobedientia cumulare. E diuerso quis adeo
 oculis ac mente captus esse possit, ut non uideat
 omnem salutis nostræ rationem, gratiæ & miseri-
 cordiæ dei adscribendam esse: quod & sequentia
 facile indicabunt, in quibus demonstrabimus, quid
 deus in hoc negotio cum homine egerit.

Cum igitur omnis culpa in serpente hæreret, do-
 minus serpentem nec interrogare nec audire di-
 gnatur, cum quod factum esset, res ipsa indicaret
 & manifestissimum esset. Deus etenim serpentem

Pæna.

ANTIQUISSIMA FIDES

non creauerat ut loqueretur : præterea in diabolo
 tanquam patre mendaciorum nulla erat ueritas.
 Itaque deus execratur diabolum, qui leberide te-
 ctus, homini imposuerat. Neque uerus serpens,
 quem dominus creauerat, quo humani generis
 aduersarius ceu instrumento usus fuerat, id quod
 fecerat, impune fert: nam illi quoque dominus ma-
 ledicit, hunc in modum, Super pectus tuum gra-
 dieris, & terram comedes cunctis diebus uitæ tuæ.
 Quibus peractis, ordo iam hominem postulabat,
 ut & is quoque secundum ueritatem & iustitiam
 diuinam, meritas pœnas daret, atque non solum
 maledictionem acciperet, sed insuper æterna mor-
 te damnaretur. Sed eas ob causas, quas in limine
 huius capituli enarraui, maledictionis huius uires
 euacuatur per intercessorẽ Christum, quem deus
 apertissimis uerbis promittit, & in eo ac per eum
 uitæ restitutionem. Eam ob rem dominus nõ in-
 quit, Et tu homo quoque maledictus esto, eo quod
 præceptum meum præuaricatus es, sed, Inimicitias
 ponam inter te & mulierem, & semen tuum, &
 semen illius : Ipsa conteret caput tuum, & tu insi-
 diaberis calcaneo eius. Ac si diceret, Tu muliere
 tanquam instrumento usus es ad humani generis
 perniciem, quæ deinceps mortuos atque condem-
 natos, ex propria indole ac natura pariat. Quapro-
 pter quemadmodum tu illa abusus es ad hominis
 interitum, ita mulier quoque instrumentum se mi-
 hi præbebit ad uitam hominis recuperandam. Ex
 ea enim nasceatur semen aut infans, qui tibi caput
 tuum

Promissio.

487

tuam diminuat ac conterat, hoc est potentiam tuam
 atque imperium, cum peccato atque condemna-
 tione, singula hæc cõrta ac diminuta è manibus
 tuis extorqueat. Quãuis in hoc negotio peragen-
 do humani corporis iacturam facturus sit. Hæc
 explanationis gratia copiosius cõmoda paraphra-
 si hoc modo reddi possunt. Homo sua transgres-
 sione æternæ mortis pœnã meruerat, ita ut secun-
 dum iustissimum iudicium meum, calumniatoris
 imperio cessisset. Sed ego eius ratione habita, il-
 lius miserebor, atque reconciliabor illi. Verum ne
 & ueritati & iustitiæ meæ aliquid decedat, curabo
 ut filius meus uera hominis natura assumpta, ma-
 ledictionis & condemnationis onus, in suos hu-
 meros sublatũ, sua morte persoluat, atq; per me-
 ritum non meritiæ mortis, hominẽ reum iam, atq;
 maledictioni expositum, in libertatem asserens, ex
 morte in uitam, ex potestate cacodæmonis in re-
 gnum suum cœleste, ex tenebris in lucem transfe-
 rat. Ita firmũ & immobile manet sacrosanctę no-
 stræ fidei fundamentum, quod scilicet omne ge-
 nus humanum ex sola misericordia meratq; gra-
 tia dei à peccatis per Iesum Christum repurgatũ,
 æternæ fœlicitatis præmium consequatur: deniq;
 à maledictione, diabolo, atque sempiterno sup-
 plicio liberetur. Ad hoc respexit diuus aposto-
 lus Paulus s. cap. ad Rom. cum ait, Etenim quod
 lex præstare non poterat, hoc deus proprio filio
 misso sub specie carnis peccato obnoxie præstitit.
 Atque de peccato condemnauit peccatum per car-

Fides.

3. ANTIQVISSIMA FIDES

nem, id est, per carnis suę oblationem pro peccatis immolatam, perq; uoluntariam mortem Christi. Ac in prima epistola ad Corinthios 1. cap. idem Paulus ait, Ex eodẽ autẽ uos estis in Christo Iesu, qui factus fuit nobis sapientia à deo, iustitiq; & sanctificatio & redemptio. Ut quemadmodũ scriptum est, Qui gloriatur, in domino & gloriatur & confidat.

*Euangeliũ
de IESV
Christo.*

Quãdoquidẽ uero illa promissio prima est, atq; uerum illud Euangeliũ, lætum, inquã, nuncium, salutem humano generi annunciãs, maiori quadam diligentia & acriori iudicio & studio de singulis differendum est uocabulis.

Primo deus filium suum dominum nostrum Iesum Christum nuncupat Semen mulieris, idq; propter ueram propriamq; hominis substantiam atque naturam olim assumendam. Ex quo præueniretur hæreticæ quorundam opinioni, quæ de phantastico atque putatio Christi corpore, nescio quid somnari posset. Deinde addit Mulieris, Christum uocans semen mulieris: mulieris utiq; non uiri semen. Quo sanè mysterio adumbratum est, dominũ nostrum Iesum Christum non è uirili semine, neque concipiendum neque nascendum: uerum è spiritu sancto, atque ex Maria uirgine. Itaq; planè absurdum est, ut ex dictione mulieris Euam intelligamus, sicut quorundam inepta est sententia, sed potius Mariam uirginem. Cæterum quod Maria uere uirgo existens mulieris nomine appellatur, sexus gratia fit. Nam uirgines quoque

que mulieris uocabulo comprehenduntur, idque ci-
tra castitatis & uirginitatis iacturam. Præterea deus
locutus est hoc in loco cum demonstratione, &
emphasi quadam ceu mysterium nobis commen-
dans, significanter dixit, Ponam inimicitiam
בין רבין האשה, id est, inter te & inter illam
mulierem. Nam per demonstratiuam particulam ו, sin-
gularem quædam intelligit mulierem, nimirum eam,
quam nobis graphice depingit Esaias, dicens, Ec-
ce uirgo concipiet, & uirgo pariet &c. Atque hanc
dictionem Semen ita usus obtinuit, ut illam post
Adami tempora perpetuo in omnibus renoua-
tionibus huius promissionis de Christo Iesu, om-
nes patriarchæ atque prophetæ repetendo protu-
lerint usque ad Dauidis tempora: post ea quippe
dominus noster frequenter flos, arbor, uel lignum
uitæ, surculus aut germen Dauidis uocatus est.
Paulus etiam in epistola ad Galatas cap. 3. manife-
stissime indicat, atque explanat per dictionem Se-
men, Christum intelligi. Hoc etiam multum lau-
dis parit matri dei, quod deus locutus est, Ego ini-
micitias ponam inter mulierem & inter te. In eo
enim maximam naturarum diuersitatem & inæ-
qualitatem intelligit. Diabolus est elatus, uersutus,
malignus, falsus atque mendax. Confer nunc illi
Christi genitricem, atque naturam illius diligenter
examina, atque facile deprehendes eam esse ab o-
mni fastu alienissimam, simplicitatis studiosam,
mansuetam ac placidam, fidei ac sinceritatis ple-
nam, castam, puramque. Atque hæc tam casta illiba

ANTIQUISSIMA FIDES

taq; uirgo, & mater omni gratia plenissima, illum nobis peperit saluatorem, qui serpenti caput contriuit.

Iustitia.

Serpentis caput diaboli potestas & regnum est, in quo illius aulici diu seruiēdo hęc prēmia consequi possunt, peccatum, maledictionem, atq; æternam damnationē. Ne itaq; sub illo principe merere cogamur, tantum impedit benedictum illud semen diuinitus homini, ut succurrat, missum. Eadem hęc & diuus Paulus docet Hebr. 2. cap. ad hunc modum, Posteaquam igitur pueri commercium habent cum sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem, ut per mortē aboleret eum qui mortis habebat imperium, hoc est diabolus: & liberos redderet eos quicumq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. Nō enim uidelicet angelos assumit, sed semen Abrahę assumit. Ad hanc sententiam illustrandam ac comprobendam non parum facit quod sequitur, Et tu calcaneo eius insidiaberis. Calcaneum ima pars hominis est, quę ceu effigie quadam aut paradigmate Christi carnem humanam nobis effingit. Eam carnem diabolus per Caiapham, Annam, Herodem, & Pontium Pilatum membra sua Ierali odio ad interitum usque profecurus est. Id testatur Petrus prima epistola cap. 3. & ab initio quarti, Christum in carne pro nobis passum esse: diuina quippe natura pati non potest, nec anima quoque mortalis est. Per cōminutionem uero humanitatis Christi, cœlestis pater diaboli imperiū
comē

comminuit atq; protriuit, id est, per mortē protriuit mortem, atque uitam omnibus sanctis & fidelibus restituit. Hanc ob causam Christus saluator ipse ait, Ioan. 12. Nunc iudicium est mundi huius. Nunc princeps mūdi huius eijcietur foras, & ego si exaltatus à terra, id est, cum cruci affixus fuero, omnes traham ad me ipsum. Postremo dominus inquit, Inimicitias ponā inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. Id facillime intelligere possumus ex diaboli eiusq; complicū dictis & factis, qui sese Christo & gloriæ, & ueritatis eius assertoribus in omnibus opponunt. Veruntamen licet serpens modis omnibus omnia obnixe faciat, tamen per Christum eiusq; sectatores manus dare compellitur atq; conculcatur. Vnde Paulus ad Romanos cap. 16. non citra maximum solamen omnium fidelium inquit, Deus autem pacis conteret satanā sub pedes uestros breui. In hoc etiam satis compendiose continetur, quid pī atq; fideles Christo ex officio debeant. Illis enim qui dicunt, Nū peracta & transacta omnia sunt, si me peccatorem esse cōfitear, ac credo per benedictum semen salutem cōsequi? Illis, inquam, commode uerēq; obijci potest, Omnes quicūq; spem ac fiduciam in benedicto semine collocant, etiam seminis illius naturam induunt: è diuerso, serpentis naturam, quæ nihil præter peccata & scelera gignit, plusquam nouercali aut capitali odio prosequuntur, atque perpetuum bellum aduersus mundum, diabolūq; suscipientes, non absq; ardentissimo

Pugna.

*Christiana
na uita.*

ANTIQUISSIMA FIDES

pioꝝ affectu diuinæ studēt uoluntati. Atque huc spectant quę sequuntur. Postquam enim homo periculo atq; metu æternæ mortis liberatus esset, placuit diuinæ sapiētiæ transgressorem pœna ad tempus durante corrigere, in qua (ceu discipuli sub præceptoris disciplina solent) in hoc sæculo exerceretur. Vxori uero, quod prior præceptum transgressa esset id oneris imponebat, scilicet mœrorē, anxietatem, dolorem in gerēdo uterum & pariendo. Ad hæc accedebat seruitus, quam marito debebat, cum timore ac subiectione animi. Viro autē hoc oneris imponebatur, ut terram maledictam, multo cum sudore excoleret. Eam maledictam fuisse, uel hoc subindicat, quod dominus ait, Quia audiuisti uocē uxoris tuæ, & comedisti de ligno, de quo præceperam ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore uultus tui uesceris pane. Ad hæc mala, accessit corporis humani destructio, illi enim qui perennē uitā in paradiso degere potuissent, mortis imperio subiciebantur. Illis enim quæ modo retulimus hæc adiciebat dñs, In sudore uultus tui uesceris pane, donec reuertaris in terrā, de qua sumptus es, q̄a puluis es, & in puluerē reuerteris. Prioris illius meminit Paulus 1. Tim. 2. ca. cū inquit, Mulier seducta, obnoxia facta est transgressioni: salua tamen fiet per generationem liberorum, si manserit in dilectione ac fide, in sanctificatione ac castitate. De
secun

ET VERA RELIGIO. II

secundo idem Paulus loquitur in epistola ad Ephes. 4. cap. Quapropter deposito mendacio, loquamini ueritate quisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra &c. Deinde, Qui furabatur, non amplius furetur: magis autem laboret operando manibus quod bonum fuerit, ut possit impartiri ei, qui opus habuerit. Eadem ferme docet in prima Theff. 4. cap. Ne quis opprimat aut fraudet fratrem suum in negotio, propterea quod ultor est dominus de his &c. Post hæc in eodem capite subiungitur, Et agatis res proprias & operemini proprijs manibus uestris, sicuti uobis præcepimus: & uos geratis honeste erga extraneos, ut nulla re uobis opus sit. De morte uero talia dicit Paulus Hebr. 9. cap. Et quatenus illud manet homines, ut semel moriantur, post hoc autem iudicium. Ita & Christus semel oblatus, ut peccata multorum tolleret.

De primis Christi fidelibus Adamo & Eua.

CAP. IIII.

HA CTENVS, ni fallor, in primis hisce dei promissionibus, liquido conspeximus sanctissimæ nostræ professionis pernoctam & fundamenta: nempe quod totum humanum genus suo ipsius merito, quin & malitia propria perierit, atque non solum in corporis perniciem, sed & animæ damnationem lapsum fuerit, quodque in homine plane nihil sit, quàm quod deo summo displicet.

III ANTIQVISSIMA FIDES

ceat: unde sequatur, quod nihil penitus & uiribus
& meritis nostris ascribere debeamus, quàm pecca-
ta, quæ nobis maledictionem pareant. Cæterum
deus ex profundissima sua misericordia nostri mi-
fertus, filium unigenitum suum Iesum Christum
Dominum nostrum, tanquam pignus humano
generi expositum, promisit, qui humanitate assum-
pta, corpus suum morti exponat, quo per omnia
absolutissimo sacrificio, diaboli, mortis, peccati
atq; inferni uires infringat, & quidquid se aduer-
sus deum atq; hominis salutem extollit, cõminuat.
Præterea se uelle inimicitias ponere inter mulieris
femen atq; serpentis, quo ceu ænigmate quodam,
id est, obscuriore quadam formula expressit, fore
ut omnes nos qui huius seminis, id est, Adami filij
extiterimus (dummodo fidem teneamus) alium
mentis affectum diuinitus accipiamus, diabolo &
eius operibus, munitione nostra freti, ceu hostes
acerrimi opponamus nos, atq; innixi spei benedi-
ctionis, laboremus ac patiamur quæcunq; patien-
da imposuerit dominus. Quis uero adeo obtusi sit
ingenij, qui non hic tanquam in speculo apertissi-
me uideat omnia ea, quæ in sacris literis (quantum
ad fidei nostræ institutionem, quantum etiam ad
charitatis & innocentiae præcepta) ad plenum con-
tinentur. Consideret quæso, si quem desiderium
cepit, 3. 4. & 2. cap. Pauli ad Rom. Præterea etiam
1. & 2. ad Ephes. atq; horum capitū summam cum
his nostris conferat, & dubio procul inueniet, ea
quorum prius mentionem fecimus, quantum ad
prædicta

prædictæ rei substātiā, parum, uel omnino nihil discordare.

Quandoquidem igitur Adamus & Eua in deum crediderūt, ita ex animo freri deo, ut post agnitum proprium peccatum suum, nullam aliam ad fœlicitatē æternam patere crediderint uia, quàm per promissum semen: interim tamen æquo animo subierunt quantumuis durissimum laborem, atq; onus satis intolerabile, quantum ad humanas uires, luce clarius est, etiam primos nostros parentes uere Christianos extitisse. Verum hanc eandem rem Mosis uerba apertius indicabunt. Et Adam uocauit nomen uxoris suæ Eua, eo quod mater esset omnium uiuentium. Cum enim cor ipsius iam solide confirmatum esset ex promissione dei, adeo ut non diffideret, quin ipse cum omnibus posteris suis per benedictum illud semen, æternæ uitæ particeps redderetur, qui alioquin ex proprio merito filij iræ, diaboli ac præsentissimæ mortis erant, indito & uxori nomine Euam uocat, tanquam uiuentium matrem, ab Hebraico nomen deducens. Ipse enim firmam quandam spem & fiduciam habebat, futurum esse, ut uxor ex uirtute & efficacia benedicti illius seminis, uiuos eniteretur liberos: nec uiuos tantum, quantum ad naturæ humanæ substantiam, quæ efficit, ut etiam bruta animalia uiua dicamus, uerum etiam quantum ad ipsam animæ essentiam, quæ perennis per se perpetuo duratura est. Adamus quippe satis temerarie tam sibi quàm suæ posteritati in æternæ

ANTIQUISSIMA FIDES

uitæ hæreditate iuferat, iacturam maximè pœnitendam faciens, quam tamen recuperauimus per intercessorem Christum Iesum dominū nostrum.

Adamus igitur firmiter his credens, aliud uxori indidit nomen, cuius exemplum alij quoq; sequuti, locis, ciuitatibus & hominibus quoq; insigniores aliquas ob causas nomina mutauerunt. Sic enim Iacob, Israelis nomen accepit, Simon, Petri: sic Luz, Bethel, alio nomine uocata est: sic deniq; & Eua à uita aut uiuendo suum adepta est nomen, Hebræis quippe dictio אַוּוּ idem quod Latinis suum uiuere significat. Siquidem prius uocabatur אַוּוּ, hoc est uirago, propterea quod ex corpore uiri, quem Hebræi אַוּוּ uocant, desumpta esset, Gen. 2. Cæterum uero consentaneum est Euam non aliam habuisse fidem quàm nunc ipse habebat Adam.

*Consolatio
auxiliū
benignitas
in ipsa pœ-
na.* Hoc etiam in clementissimo omnium rerum cōditore suspiciendum est, quod in pœnæ iamiam irrogandæ articulo, non cessat euidentissima magnæ suæ misericordiæ argumenta ostendere. Cum enim iamiam expellendus esset homo ex amœnissimo paradyfi horto, atq; in exilium relegandus, fidelis patris exemplum imitatus, paternum animi affectum expromit, fidelem patrem se in eo ostendens, quod abdicandum filium, non omnino sine consolatione dimittit, sed tegumento aduersus æstus, frigora omnesq; tempestates præmunit, idq; hæc ob causam, tempestates, terra, aër, & cum his omnia animalium genera, post hominis transgress

gressione & peccatum, excusso seruitutis iugo, homini terrorem incutiebant, tanquam ea, quæ iam imperio liberata, suas vires, suamq; sæuitiam in hominem exercere possent, quæ prius cicurata ac domita, homines tanquam dominū agnoscen- tes, ipsi seruiuisent. Propterea si quid etiam hisce nostris temporibus, in bonis ac utilibus creaturis dei desyderatur, id omne nostris peccatis imputan- dum est. Posthęc dominus deus miserum atq; affli- ctum hominem blandis uerbis compellendo, con- solatur, hunc in modum, Ecce Adamus tanquam unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: uel, Adamo idem eueniet, quod uni nostrum, atq; sciet bonum & malum. In quibus uerbis, licet ali- qui σαρκασμῶν facere uelint, tamen eorum sententia mihi non admodum probatur: sed potius, Deus, qui in essentia unus est, trinus autem in personis, uaticinando futura prædicit Adamo, fore scilicet, ut bona & mala experiatur, id est, fortunam & prosperam & aduersam per uarias calamitates ob- iectas. Interim tamē necessarium esse, ut forti atq; intrepido animo, quæcunq; offeruntur, patienter ferat, quandoquidem nihil aliud illi euenturum sit, quàm quod unus ex ipsis multo maiore diffi- cultate experiatur olim. Quibus uerbis suboculte Christum filium suum, ac dominum nostrum de- signat, secundam illam personam in sanctissima Trinitate, cuius passione dominus Adamum con- solatur, ac si dicat: Afflictiones atq; calamitates, uel (ut prouerbium habet) ipsa malorum Lerna

*Consolatio
& patientia
in Christo.*

ANTIQUISSIMA FIDES

oneri ne tibi sit, quandoquidem uides, atque iam in animo, ni fallor, confirmatus es, unum ex nobis esse, qui humanam naturam assumpturus sit, idque in tuam, atque omnis posteritatis gratiam: cuius calcaneo, id est humanitati, serpens insidias instruet per omnem uitam, per se, suique regni assertores negotium facessens, usque ad uitae exitum. Non multum ab his dissentiunt ea, quae diuus Petrus scribit priore epistola, cap. secundo, Siquidem in hoc uocati estis, quoniam & Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequeremini uestigia ipsius.

*Explana-
tio fidei A-
dami.*

Ex quibus omnibus, quae iam fusius tractata sunt, facile est intelligere, qualem Adamus habuerit fidem in Christum Iesum, nempe quod in promisso Christo, olim uenturo, utranque naturam, diuinam scilicet humanamque, & cognouerit, & ueneratus sit. Atque illius mortem & crucem uerissime per fidem animo suo habuerit insculptam. Praeterea passionem Christi, eam existimauerit, primo, quae & diaboli regnum euerteret, & credentibus uitam restitueret: deinde, ut in illius uita, tanquam in speculo nos contempleremur, atque rugas nostrasque, quorum ingens copia est, illius exemplum secuti, in dictis & factis, uita & moribus repurgemus, atque emundemus, interim quoque ex perfectissimo illius exemplo tolerantiam addiscamus.

Huc non parum faciunt omnes doctrinae, quae nos docent aduersa patienter ferre, crucem Christi in humeros tollere, mundi contumelias non inique ferre,

ferre, ac deniq; ueterem Adamum subinde in nobis repuerascentem extinguere: quæ res passim in omnibus prophetarum & apostolorum scriptis commodis ac decoris depicta uerbis, fufius tractatur.

Adamo uero atque Euæ nihil horum defuit, quamuis eius generis institutiones literis mandatas non habuerint. Deus etenim de omnibus his præfens cum illis differens, ui & efficacia diuini spiritus cordibus illorum inculpfit. In harum rerum enumeratione, id mihi silentio non uidetur prætereundum esse, quod primi nostri patres, & templis & ceremonijs carentes, tantum externa sacrificia, tanquã quodã prototypo & exemplari Christi sacrificiũ referentia, cum alijs quibusdam exercitijs & signis animorum gratitudinem testantibus, habuerunt. Id uerum esse sacrificia Caini & Abelis testantur. Quorum enim auctoritatem secuti dicentur, si quis inficias eat, eos id moris ex paternâ institutione habere? Ipse uero Adam unã cum uxore sua Eua, & matre nostrorum omnium, non per ulla opera aut humana merita, sed per fidem in benedictum semen, id est Christum Iesum æternæ felicitatis consortium indeptus est.

*Etiam sanctos patriarchas & Christianos & per
Christum saluatos fuisse.*

CAP. V.

EAM fidem in Christum Iesum, quam modo retulimus, nimirum etiam sanctissimus pater Adam filiorum suorum mentibus impressit, ut

C

ANTIQUISSIMA FIDES

& ipsi quoque liberis suis promissionem dei, præterea gratiam cum consilio de Messiah & seruatore mittendo, referentes, cordibus illorum insererent. Vnde nimirum etiam Abel tam excellentem tamque magnificam habuit fidem, ut diuus Paulus ipsa ueritate coactus talia de ipso pronunciarit in epistola ad Hebræos 11. cap. Per fidem uberiori hostiam Abel obtulit deo, quam Cain, per quam testimonium meruit, quod esset iustus, testimonium perhibente de illius donarijs deo, & per hanc mortuus adhuc loquitur &c. Quandoquidem igitur nemo nisi mentis inops iuste negare poterit, omnes pios atque probos tantum per benedictum semen benedici atque iustificari: interim tamen Abel pro iusto reputatur, atque teste scriptura uere iustus sit, necessario consequitur, quod per fidem in Christum Iesum iustificatus sit. Quod uero hostias deo summo, optimo atque maximo obtulit, animi gratitudinem plenam atque perfectam exhibere atque ostendere uoluit, non certe eo animi proposito, quod externis aliquid fideret, sed ut per externa internum animi affectum testaretur, qui tantum fretus satisfactione Iesu Christi, externis & operibus & meritis prorsus nihil ascribat, sed agnoscat per Christum & eius gratiam omnia iustificari & purificari. Et externa ueterum sacrificia præter id quod gratitudinis erant indicia, quibus deus laudaretur atque celebraretur, etiam exemplaria ac præcurrentia signa, unici atque æterni illius sacrificij saluatoris nostri Iesu Christi, extiterunt.

De sacrificio Abelis.

runt. Atque eam ob rem quasi futurorum sacramenta fuerunt. Id de sacrificijs uetustissimi quiq; sentiētes immolauerūt, quemadmodū sequentia ostendēt.

Quemadmodum autem in Abelo typus atque forma hominis uere renati, & Christiani proponitur, ita Cain semen serpētis nobis repræsentat, *Cain omniū nebulonum pater.* id est filium Belial, qui dictamen dei contemnens serpenti ad interitum deducenti auscultat. Atque in his duobus fratribus facile est uidere qui nam fuerit sensus uerborum dei, cum diceret, Ego inimicitias ponā inter semē tuū atq; mulieris semen: ac si diceret, Duo hominū genera erunt, quorum alterū benedicto semini Christo scilicet, alterum uero calumniatori diabolo adhærebit. Atque inter hæc duo genera seditiones atq; letalia erūt odia, propterea quod in fide & religione dissentient. Ego etenim in meis sectatoribus postulabo ut à me solo pendeant, me timeant, me colant atque adorent, deniq; omnem spem de salute cōsequenda in me, per intercessionem benedicti seminis, figant: interim tamen probam, piam, honestam atque modestā uitam ducant. Hi uerò, qui à serpētis parte stabunt, huius generis habebunt præcepta, ut hypocrisi sint dediti, ut non rite mihi seruiant, non ex animo me diligant, non pie quemadmodum decet de me sentiant, mihi non ex animo fident, ut mundū hunc diligant, atque proprijs affectibus & appetitibus per omnia satisfaciētes, inseruiant. Hæc omnia deprehenduntur in his duobus fratribus, sub quibus uera atque falsa fides præ-

ANTIQUISSIMA FIDES

ma habuit initia. Abel enim simplicitatis studiosus erat, probus, & firmiter deo fidens. Cumq; deum pro summo suo thesauro haberet, munera illi offerebat de optimis & præstantissimis quæ possidebat: nimirum prius hac in animo cõcepta opinione, tutissimum esse deo creatori omnium animam cum corpore & facultatibus omnibus citra omnem hypocrisim & simulationem committere, & apud illum tanquam largissimum fontem omnia quærere. Et ut re ipsa probaret se talem animi sententiam tenere, pietati, probitati, atque humanitati seruiens, omnes affectuum vires gliscetes deprimebat. Atqui propter egregiam hanc fidem Abelis sacrificium probabat deus, cum Caini oblationem tanquam hypocriticam reprobaret. Quamuis enim externa specie in offerendis sacrificijs dei cultorem esse se testaretur, tamen auaritiæ atque perfidiæ addictus, non absq; magno dei & ueritatis cõtemptu terrenis indulgebat affectibus. Cuius rei euidentissimum argumentum est, quod ipse impulsus prauo atque maligno corde, accedente & pernicioso serpentis consilio, fratrem prorsus nihil mali meritum crudelissime interemit. Ex quo illud meruit, ut omnium latronum patriarcha suo merito dicatur, qui semen dei singulari atque ingenito odio prosequitur. Rursus autem Abel ecclesia Christi protomartyr factus est, & hanc in ecclesiæ Christi laudem tenebit perpetuo. Atque hi duo fratres illius certaminis typum prætulere, quo hic mundus, ciuitas Satanae, & ciues maledictæ ciuitatis, in qua

serpens

serpens imperitat, caput, & princeps est, cōmittitur iam inde ad consummationem usque sæculi, cum ciuitate & ciuibus dei urbis benedictæ, ecclesiæ inquam, in qua caput & princeps est dominus noster Iesus Christus. Ciues etenim atque incolæ ciuitatis dei, soli deo adhærent, illiç seruiunt ex toto corde: atque omne spei fundamentum in solo Christo collocant. Sed serpentis municipes, quamuis reuera contemnant deum, nihilominus tamen de illo nescio quid inaniter iactitāt, illi immolant, & seruire sese affingūt, uerum non eo modo, quo cōueniebat. Quamprimum uero animaduertunt, confessionis fallacias deprehensas, atq; animi fucum proditū esse, ita ut omnibus summe displiceant, tum ad apertam uim atque uolentissima latrocinia se conuertunt, à quibus per diuina oracula quàm diligentissime auocantur. Nanque deus & ipsum Cain ab animi proposito terrebat, hisce uerbis, Quare iratus es, & quare concidit facies tua? Nōne si bene egeris, recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit appetitus eius, uel ad te respectus eius, & tu dominaberis eius. Quod perinde est ac si dixisset dominus, Non est quod fratri tuo ita succensesas. Nam nullam habes iustam succensendi causam. Si enim bene te gesseris & rite obtuleris, bene est, cedit hoc in eximiam tuam & laudem & utilitatem. Sin perperam & inique egeris, iam cubat tibi ante fores peccatū, culpa, infortuniū et interitus, perdesçq; te metipsum. Nihil nocuit tibi fra-

Deus à latrocinio deterrēt.

ANTIQUISSIMA FIDES

ter tuus: non oberit tibi porro uel tantillū. Placuit sanè mihi eius sacrificiū. Hac de causa metuis opinor, ne tuum locum & tuam occupet dignitatem. Non occupabit. Securus esto. Non præripiet tibi ius primogenituræ, non dominabitur tibi, non respicies ad ipsum, non pendebis ab eius nutu, non parebis eius dictatis: quin potius ad te respectus eius, & tu dominaberis illius. Desine itaq; à cruento isto animi tui proposito, & ne polluas te immerita fratris cæde.

Cæterum Cain explendæ libidinis suæ gratia, planè spreto atque contempto dei cõsilio fratrem nihil tale, sed potius fraternum amorem meritum iugulabat. Cumq; post ea fidelis dominus cruentam fratricidam ad peccati agnitionem sollicitaret, loco confessionis atque pœnitentiæ nihil præter magnifica uerba & insultationem cõtra deū edit. Quem animi fastum conspicatus deus excandescit, atque pœnitere nescium hominem execratur. Atqui tum demum factum suum examinans, miseriamq; considerans, quod omnes impij faciunt, desperat, deniq; ex malo pessimus, ex maligno & peruerso malignissimus atque peruersissimus red dicitur, impietatē impietate, scelus scelere, cumulās: siquidem prorsus nulla dei ratione habita, omnē suam spem defigit in terrena. Nam, ut præclarum in terra sibi nomen pararet, primā condit urbem, eamq; à primogenito suo filio nominat Hanoch. Postea nata est Caino numerosa soboles, sed supra modum impia, adeo ut scriptura dicat, Adam iterum

De prima
fidei uiola-
tione, eiusq;
restitutione

iterum Euam uxorem suam cognouisse, quæ concipiens pepererit filium, cuius nomen Seth uocabatur. Adam quippe dicebat, Posuit mihi deus aliud semen pro Abel quem occidit Cain. Sed & Seth, natus est filius, quæ uocauit Enos, iste cœpit inuocare nomen domini. Ex quibus uerbis facillimum est colligere pium Adamum, ita nullam penitus spem in Caino eiusq; semine collocasse, ac si penitus orbatus fuisset liberis. Adam enim deum conditorem suum pie reuerebatur. Cain uero cum omni prole sua contempto deo, serpentis consilio, & præceptis acquiescebat. Propterea Adamus alio filio nato, firmiter sperat, eum Abeli latrocinio intercepti, uices resarturum esse, honeste, pieq; uiuendo, ex cuius ceu primariæ stirpis semine post multa sæcula, benedictum illud semen, quod est Christus Iesus, nascatur. Eam ob rem uocauit eum Seth ab Hebræo uerbo שֵׁט, uel שֵׁט, quod est, posuit, nomē deriuās, ac si dicas, stirpē, palmitem, uel surculum. De Cain etenim latrone, deq; fructu quem posteri ex eo caperent penitus desperauit. Ex illo itaq; Adami filio Seth piorū deducitur genus ad usq; Noe, à Noe uero usq; ad sanctissimū Abrahamū, ab Abrahamo ad regē & prophetam Dauidem, & deinde ad Christū saluatorem usque. Hic itaq; Seth sacrosanctā nostram fidem, sub Cain penitus collapsam, in integrū rursus cōstituit, in eo quod liberos suos cum nepotibus (ab Adamo patre uiua uoce prius institutus, nimirum etiam diuino spiritu intrinsecus operante) nihil

ANTIQUISSIMA FIDES

aliud docuit, quàm unico deo fidere, atque in benedicto semine omnē spem, omnemq; fiduciā habere. Id enim sacra eloquia apertissimis uerbis exprimunt, cum dicunt, Tum inceptū est inuocari nomen domini. Haëtenus quidem solus Adam cum uxore sua Eua deum coluit, illiq; uere seruauit. Siquidem prosapia Cain latissime se expandens, tanquam ea quæ iam ad centesimum atque quinquagesimum annum impie & turpissime uiuendo peruenerat, & quæ nulli honesto exercitio uacans, tantum uiolentiæ & crudelitati studebat. Itaq; ut prosapia Seth multiplicaretur, quæ in nullis alijs rebus, quàm in pietate & uere solida fide exercebatur, ait scriptura, nomen dei tum inuocatum esse; per quam inuocationem, nihil aliud intelligit, quàm uerè iustam fidem, & cultum deo placentem. A Seth itaq; & illius posteris, omnes serui dei, & nostræ religionis antistites originem traxerūt. Maledictam uerò & execrabilem Caini prosapiam deus omnipotens diluuiο eluit, funditusq; perdidit.

Quid Enoch crediderit.

In sanctorum atque fidelium album etiam sanctissimum patriarcham Enoch referendum esse quis ambigat? cum scriptura sancta de eo testetur, quod cum deo ambularet, hoc est, omnem uitam suam ad dei uoluntatem ceu certissimum scopum direxerit: ne culmum quidem latum discedens ab omnibus his, quæ dominus deus Adamo præceperat. Propterea illo honore dignus habitus est à deo, ut repente ab hominum conspectu sublatus

in

in cœlum, animæ immortalitatem exemplo suo depingeret, simul etiam corporis resurrectionem adumbraret: unde omnes pij solatiū conciperent, fore aliquando, ut uitæ spacio excursio, salutis participes efficiantur. Sic enim legis in scriptura, Ambulauit Enoch cum deo, & nō apparuit, quia tulit eum deus. Quin & diuus Paulus magnificum quiddā profert de fide Enoch cap. 11. ad Hebræos ad hunc modū, Per fidem Enoch fuit translatus, ne uideret mortem, nec fuit inuentus, propterea quod transtulerat eum deus; priusquā enim transferretur, testimoniū meruerat, quod placuisset deo. Atque sine fide fieri nō potest, ut quis illi placeat. Nam qui accedit ad deū, hunc credere oportet esse deum, & remuneratorem quærentibus se. Ex quibus uerbis facillime elicere possumus, quod in omnibus per fidem ad benedictum semen respexerit, atque per Christum intercessorem deo placuerit.

Et hæc dissensio & inimicitia, quam inter semen Enos & Cain, hoc est filios dei, & serpētis seruos, extitisse retulimus, adeo alte radices egit, ut radicatus extirpari non potuerit, quin perpetuò diuisis inter se copijs, quiuis suum secutus fuerit ducem ac imperatorem, atq; ita utriusq; exercitus frequentis multitudinis concursu augmentum nō sanè modicū senserit. Postremo tamen impij pios numero & uiribus longè superarunt. Nam filij dei non abstinentes à connubio filiarum mundi, feros, truces atque sanguinolentos homines genuerūt, qui

ANTIQUISSIMA FIDES

prorsus destituti omni ratione fidei, tantum affectibus indulgebant, quin etiam negligētes annos centum & uiginti à domino constitutos, si forsan intra id temporis spacium aliam uitæ rationē instituerent, atque pœnam iamiam ceruicibus imminentē euitarent, firmiter in prauo uitæ proposito perseuerabant. Ex quibus ceu iustissimis causis deus uelut compulsus fuit, ut impiū mundū deleteret, quo omnis posteritas ad mundi usque consummationem huius exempli terrore perpetuo in officio persisteret, considerans, sæuissimam quidem, sed tamen iustissimā dei iram, ac simul commoneretur, quantopere impietas & iniustitia deo displiceat. Itaq; deus inundatione aquarum omnem terram cōtegebat, atque aquarum ui omnia destruens, uitam omni uiuenti creaturæ eripiebat: quod factū est anno ab origine mundi millesimo sexcentesimo quinquagesimosexto. Hic enim annorum numerus, cōuerso ordine supputatione facta, ab ætate Noe, qui annum sexcentessimum attigerat, usq; ad Adamū, certissima supputatione colligitur. Id testatur 5. & 7. cap. Genes. Hunc uitæ exitum meruit peruersissima illa serpentis proles, quam deus respectu impiæ atq; iniustæ uitæ, funditus perdidit.

In hac communi omnium clade solus Noe, fidelis ille seruus dei, cum familia sua, in qua octo erant animæ, ex prouidentia & benignitate dei dirum atq; horrendum periculum, arcæ subsidio ereptus, euitauit. In quo certe temporis articulo,
fan

sanctissima nostra uerissimaq; fides uere triumphauit, de uictoria serpenti extorta clara erigens trophæa. Noe enim nobiscum in fide consensit, uere existens de fideli semine dei, fetus nimirum benedicto semini, quod erat Iesus Christus. Quin & arca ipsa, exemplar Christi prætulit. Huic meæ sententiæ suffragantur & Diui Petri dicta, Epistola 1. cap. 3. Semel exspectabatur dei lenitas in diebus Noe, cum apparabatur arca, in qua paucę, hoc est, octo animæ seruatae fuerant per aquam: Cuius figuræ nunc respondens baptismus, nos quoq; saluos reddit: quo non carnis sordes abijciuntur, sed quo fit, ut bona conscientia bene respondeat apud deum per resurrectionē Iesu Christi, qui est ad dexteram dei. &c. Ex quo necessario sequitur, quod in Christum crediderit Noe. Præ-

Promissio

Christi rea

nouatur.

terea Noe primus est, cum quo mundi rector fœdus cum Adamo iētum, renouauit. Vnicum enim fœdus est, quod est, promissio Adamo statim post transgressionem facta. Cæterum idem illud fœdus postmodum certis temporibus propter euidentissimas etiam causas & rationes, denuo renouauit deus ac cōfirmauit. In hac enim rerum conditione, id in animo uoluere potuisset Noe, actum esse de uniuerso hominum genere, coniecturam faciens ex uerbis Dei, qui dixerat: Delebo hominem quem creauī, à facie terræ, ab homine usque ad animātia, à reptili usque ad uolucres cœli. Propterea statim subiungit, Tecum autem erigam fœdus meum. Vbi obseruandum est quod

ANTIQUISSIMA FIDES

*Sacrificiū
Noe.*

non dicit, Feriam fœdus meū tecum, sed Erigam.
Hoc autē dicit, Pacta & fœderis capita cū Adamo
inīta planè integra & inuiolata manebūt. Licet e-
nim mūdi interitus instet, tamē curabo ut ueritas,
te duce, per oīa obstātia erūpat, uincatq;. Tu quip-
pe superstes eris, ut ex stirpe tua, promissum illud
& benedictū semen nascatur. His uerbis firmiter
credens Noe, à deo per Christum seruatus est. Hic
ut certis quibusdā signis fidem suam apertius atq;
euidentiū ostenderet, quamprimum aquæ dilu-
uij, quæ ex imbribus auctæ omnia contexerant,
iam subsedissent, protinus relicta arca, ad sacri-
ficia offerenda properauit: quibus ueluti certissi-
mis indicijs & argumentis animi sui & gratitudi-
nem, & constantiam fidei testaretur: simul etiam
confiteretur deum omnium bonorum esse autho-
rem, qui sibi, suisq; posteris semen benedictum,
id est filiū suum promiserit, qui corporis sui perli-
tatione humanum genus diuinæ iustitiæ reconci-
liet. Sic enim scriptura loquitur Gen. 8. Aedifica-
uit autem Noe altare domino, & tollens de cun-
ctis pecoribus, & uolucris mundis, obtulit ho-
locausta super altare, odoratusq; est dominus odo-
rem suauitatis, & ait ad eum, Nequaquā ultra ma-
ledicam terræ propter hominem &c. Rursus di-
uus Paulus Ephes. 5. ait, Sitis igitur imitatores dei
tanquam filij dilecti, & ambuletis in dilectione,
quemadmodum & Christus dilexit nos, & tradi-
dit semetipsum pro nobis, oblationem & uicti-
mam deo, in odorem bonæ fragrantiae. Ex his au-
tem

tem scripturæ locis, si diligentius conferatur, luce clarius intelligit Lector non omnino stupidus, externum illum odorem deo non tantopere placuisse, quantum res & substantia uera per externam illam oblationem significata, quæ erat sacrificium Christi, cuius respectu deus mundo reconciliatus est. Quo nimirum facit & euidentissimum patris testimonium, quod de filio cum in Iordane baptizaretur tulit, dicēs, Hic est filius meus dilectus, in quo placatus sum.

Post oblata uero sacrificia, omnipotens deus etiam leges quasdam ipsi Noe præscribebat, sed tamen similes his, quas maiorū animis insculperat, quantum attinet ad sententiam, ut nullam in ijs repugnantiam aut diuersitatem deprehendas. Prima coniugij instituta complectitur, cum liberorum educatione: in qua omnia ea comprehenduntur, quæ aliàs de disciplina, castitate, temperantia, sollicita cura in educatione, pietate probitateq̃, deniq̃ de obedientia & institutione in honestis artibus, scribuntur præcipiuntq̃. Secunda apertam uim prohibet, cum omni fraude, dolo malo et infidijs, ne uidelicet carnē cum sanguine comedat. In hac enim lege tacita ocultaq̃ figura innuere uidentur, ne quis per cedes, oppressiones pauperum, non scenore, ui, fraude ac dolo, uitæ necessitatibus succurrat. Interim tamen omnia quæ mouentur ac uiuunt, illius imperio subiiciuntur, potestate data ut illis ad necessitatē utatur. Et ut breuibus dicam, quicquid ad dilectionem dei & proximi spectat,

ANTIQUISSIMA FIDES

renouatur, & à Noe illiusq; liberis requiritur.

Profapia A Noe originem duxerunt omnes populi, tam
Noe diuisa pij quam impij. Nam in filijs quoq; quorum tres
mundo in- numero erāt Iaphet, Sem & Cham, diuinæ, id est,
colas dat. piæ, & serpentinæ, hoc est diabolicæ indolis indi-
 cia illuxerūt. Namq; Cham caput & primaria ori-
Gentilitia apud quos omnis idololatria & contemptus dei
fides siue insigniter florens, etiam ad alias nationes utpote
Idolola Græcas & Romanas, serpentis auxilio dispersa,
tria. penetrauit. Ex quibus interim facile conijcere pos-
 sumus, Christianam nostram fidem antiquitate
 cæteras omnes longè antecellere, & omnium reli-
 gionum longe uetustissimam esse. Hic enim cla-
 rissime uidere est, post annos demum mille & o-
 ctogentos uel nongētos, insanæ atq; impiæ Gen-
 tilium idololatriæ fundamenta iacta esse: idq; fa-
 ctum esse ab execrandæ detestandæq; impietatis
 hominibus. Maledictus enim Cham Aegyptio-
 rum pater fuit: Nemroth uero impius ille grassa-
 tor atq; tyrannus, Babylonici regni primus con-
 ditor extitit, qui ut animū suum omnibus testa-
 tum faceret, turrim qui culmine nubes rāgeret ex-
 truere nititur. Atq; perfecisset, nisi in ipso opere su-
 pra modum feruente, per linguarum confusio-
 nē diuinitus immissam fuisset præpeditus, quem
 admodum Gen. 11. legimus. In summa, humani
 generis hostis, in profapia Cham maximi nomi-
 nis fuit & uires suas maxime exeruit. Verum eo
 non contentus erat, quin etiam Stirpi Sem & Iaphet

phet (à quo nos Germani sumus oriundi) suos
 ceu supposititios pueros suggereret.

De stirpe Sem nati sunt, Abraham, Isaac & Ia- *Abrahami*
 cob teste Mose undecimo Geneseos. Et quemad- *fides in*
 modum prius retulimus, puritas & sinceritas fi- *Christum.*
 dei apud Chaldaeos bona ex parte obscurata erat:
 propterea deus reuocans Abrahamum ex gente
 idolorum cultui dedita, & Christianæ fidei præ-
 cepta restituens in genuinum, quem Adamus te-
 nuerat, usum, talibus alloquitur uerbis, quorum
 Moses meminit Gen. 12. in hunc modum: Egrede
 re de terra tua, & de cognatione tua, & de domo
 patris tui, & ueni in terram, quam monstrauero ti-
 bi. Faciam tē in gētem magnam, & benedicam
 tibi & magnificabo nomen tuum, eris tē benedi-
 ctus. Benedicam benedicientibus tibi, & maledi-
 centibus maledicam. Atq; in te benedicentur om-
 nes cognationes terræ. Huius rei testimonium a-
 liud legimus Gen. 22. cap. ubi dominus per Mo-
 sem inquit, Et in semine tuo benedicentur omnes
 gentes terræ. Id ruidius atq; planius (quod aiunt)
 Paulus explanat 3. cap. in Epistola ad Galatas: qui
 dicit, semen Abrahamæ, in quo benedicantur om-
 nes gentes, Christum esse. Quæ prolixiora cum
 sint, breuitatis gratia omisimus. Propterea, hæc
 iam secunda aut tertia erat renouatio promissio-
 nis Christi, benedicti illius seminis. In primis e-
 nim Adamo promittebatur: eadē promissio inter
 deum & Noe renouabatur. Tertius ab Adamo
 erat Abraham, qui & ipse certa promissione de

ANTIQUISSIMA FIDES

Christo mittendo confirmabatur. Atque ea promissio licet tribus vicibus facta sit, tamen eadem est, idem Messias atque saluator, eadem denique fides. Et Abraham credidit in Iesum Christum, atque per fidem iustitiam & æternam salutem consequutus est. Christus etenim redemptor noster ipse testatur Ioannis 8. Abrahamum diem suum uidisse, atque ex animo gauisum fuisse. Cæterum quid aliud est diem domini uidere, quam splendore & uirtute euangelij illustrari? Nō enim corporeis oculis diem domini adeoque ipsum dominum conspexit, sed fidei oculis eum intuitus est, qui ipsum omni expleuit gaudio, inque æternæ felicitatis hæredem asciuit. Christus enim uerum illud gaudium est, quod afflictas nostras conscientias confirmat atque reficit. Eo modo, eaque ratione Abraham pater omnium credentium dictus atque factus est, teste Paul. Roma. 4. Ex quo illud quoque colligere possumus, fore, ut Abrahami fidem, dicta & facta imitantes, atque reipsa exprimentes, ueri Abrahami filij simus futuri, inque illius sinu, ut scripturæ testantur, requiem capturi, id est, in regno dei consortio Abrahamæ & omnium sanctorum fruituri. Sic etenim scriptura dicit, Lucæ 13. 26. 29. Matth. 8. Quin etiam Paulus ad Gala. 3. cap. dicit: Abraham credidit deo, & imputatum est illi ad iustitiam. Scitis igitur, quod qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahamæ: quin & hæredes secundum promissionem. Hac fide impellente, Abraham Christiana opera patravit, adeoque fidem suam per opera probauit. Reliquit

*Abrahami
opera fide
plena.*

quit enim patriam dulcissimam unà cum dijs & idolis patrijs, & id quidem ultro: omnis generis difficultates, famem, exilium, miseriamq; longanimitati pertulit patientia: in diuisione terrarum non auarus fuit erga Loth ex fratre nepotē, sed optionem illi permisit: pro eodem uitam suam periculis exposuit, dum uidelicet iustis armis sumptis illum unà cum reliquis oppressis & captiuis è potentissima hostium manu & interitu præsentissimo eriperet. Præterea liberalis & munificus fuit erga omnes, misericors quoq; benignus & hospitalis: pro peccatoribus fideliter & iugiter intercessit apud deum: angustias item, persecutiones, pressuras, iniuriasq; graues perpessus sustinuit: ad de his quod unigenitum quem diligebat Isaac, quia ita placere deo credidit, immolare uoluit, ac quod animi destinata uoluntatem attinet immolauit. Vnde & illustre à deo meruit testimonium domino per angelum dicente, Nunc demum cognoui quod timeas deum, cum filio tuo unico illi non peperceris propter me. Et ut uerbo omnia complectar, Nulla est uirtus Christiana in nouo Testamento commendata pijs, quam non item deprehendas in uita, in dictis inquam, & factis Abrahæ patris nostri. Qui hac de causa ab ipso domino nostro Iesu Christo & apostolis eius ecclesiæ ut fidei & uitæ Christianæ absolutissimū exemplar proponitur. Atq; & hic quoq; deprehendimus Christianorum fidem *Iudaorum* antiquitate Iudaicam religionem longè antecel- *fides.*

D

ANTIQUISSIMA FIDES

Iere. Iudæi enim de circuncisione, deq; Iudaico & Israelitico nomine gloriabantur. Præterea etiam quod legem & pontificatum cum ceremonijs primi acceperint. Interim tamen scripturæ probant, Gen. 15. 17. Rom. 4. Abrahamum deo tanquam insigniter charū placuisse, atq; iustitiæ & probitatis nomē meruisse, etiã ante acceptã circuncisionis institutionē. Antequã enim circuncideretur, nona gesimum nonum attigerat annum, Mose teste, Gen. 17. cum tamen promissio diuinitus facta, circuncisionem multis annis præcessisset. Præterea scriptura apertissime testatur, quod Abraham deo crediderit, & hoc illi imputatum sit ad iustitiam. Addamus quod Israel & Iudas, à quibus nomen acceperunt, multis elapsis annis post nati sunt. Quin & lex ipsa secundū Pauli supputationem, Galat. 3. quadringentis & triginta annis post promissionem lata est. Ex quo sequitur Christianam fidem duobus millibus & quadraginta annis, circuncisionem: & duobus millibus quadringentis & quadragintanouē annis legē, cum pontificatu & ceremonijs Iudaicis, superare. Nam ab Adamo usque ad diluuiū, mille, sexcenti & quinquaginta sex anni elapsi sunt: & anni trecēti sexaginta tres omne tempus à diluuiō usque ad Abrahami ex Chaldaea profectiōem explebūt. Deinde omne temporis interuallum ab Abrahami profectiōe, usque ad exitum Israelis ex Aegypto, quadringentos & triginta annos conficit. Et quinquagesimo die

die ab exitu, lex Israeli in monte Sinai dabatur, Exod. 19. & 20. cap. Et post aliquot dies demum summum illud sacerdotiū cum alijs ecclesiasticis ritibus instituebatur. Quod uero deus cum Abrahamo fœdus percussit, cum circuncisionem institueret, plus facit ad confirmationem sanctissimæ nostræ fidei, quàm ut Iudaicarum ceremoniarum uetustati ac dignitati aliquid addat. Qua de re prius etiam libellum composui, cuius hæc erat inscriptio, De unico & æterno fœdere dei &c.

Isaac & Iacob Abrahami filij fuerunt, nō modo secundū carnem, sed etiam secundū spiritum. Cuius rei euidentissimum argumentum est, quod & patris & aui (Abrahami scilicet) fidē tenuerunt, atque illius exemplū secuti, freti Christo promisso, omni spe & fiducia in deum solum posita, modestiæ atque probitati studuerunt. Huius rei testimonia in sacris eloquijs plurima illis hinc atque illinc offeruntur. Quin & ipse Iacob, quem deus alio nomine Israelem nuncupauit, unde & populus Iudaicus Israelis nomen accepit, plurimas habuit reuelationes de Christo, qualis & illa fuit de scala, quæ terræ innixa, cacumine cœlum contingebat, in qua angeli domini ascendebāt & descendeabant. Cuius mentionem habemus Genes. 28. Ea namq; reuelatione ceu paradiigmate Christus proponebatur, qui, ut ipse testatur Ioan. 14. Via, ueritas, ac uita est, per quem solus aditus ad patrem in cœlos detur. Ipse quoq; dominus apertissimis uerbis alludit ad Iacobi uisionem, Ioānis 1. cap:

*Fides Isaa
ac Iaa
acob.*

ANTIQUISSIMA FIDES

cum ait, Amen amen dico uobis, posthac uidebitis cœlum apertum, & angelos dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Et Iacob firmiter hæc animo insculpens ac imprimens, huius rei confirmandæ gratia in loco eodem altare extruit, idq; ex iussu dei, quo dubio procul, ceu prototipo crucem, passionem & sacrificium Christi significauit, quo loci deum pie ac reuerenter adorauit atq; coluit. Ad hæc omni suæ familiæ præcipiebat, ut idola atq; simulachra alienorū deorum, quæ ex Mesopotamia attulerant, in conspectum suum proferrent, quæ in unum cumulum congesta subter terebynthū iuxta Sichem unà cum inauribus defodiebat, ut in Genes. libro, capite 35. legimus. Et cum iam iam decessurus esset, de Christo domino & seruatore mūdi apertissima prædixit, quod de stirpe Iudæ nasciturus sit, sed eo demum tempore, quando imperium de Iuda auferatur. Id quod Herodis temporibus factum est. Siquidem tricesimo secūdo anno imperij Herodis, Christus in Bethlehem Iudææ natus est. De quare Iacob moribundus hæc prædixit Genes. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec ueniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Aequè solidā & firmam fidem Iacobi patris sanctissimi Ioseph filius eius tenuit, qui freno carni suæ iniecto, non solum seruitutis & uinculorū molestias ac difficultates patiētia euicit, sed & adepto imperio in omnibus rebus administrādis se cæteris principibus omnibus, ceu exemplum

plum iustitiæ & æquitatis proposuit. Hic Ioseph Iesu Christi domini nostri typū gessit, qui eodem modo ut Ioseph à suis uenditus, & in manus & potestatem Gentium traditus, fratres non quantum ad corpus, sed ad animam, fame periclitātes fideliter eripuit. Ex his igitur omnibus quæ hæcenus aliquanto fusius tractata sunt, manifestissime patet, fidem in Christū Iesum à mūdi initio usque ad Iosephi tempora supputatione facta, per annos bis mille ducētos & quinquaginta ac amplius durasse, atque ita omnes sanctos patriarchas, ante la tam legem, non per legē, proprias uires & merita, sed per benedictum semen Christum Iesum dominum nostrum iustitiæ & salutis æternæ participes effectos fuisse.

Etiam dei legem, quæ per Mosen promulgata est ad Christum nos ducere: ac typis seu figuris omnia Christi adumbrare.

C A P. VI.

OMNE illud tempus si diligenter supputes *Israel erat in Aegypto.* per quod Israelitæ post Iosephi obitum in Aegypto, usque ad liberationē per Mosen factam remanserunt, annos centum & trigintanouem inuenies. Et quemadmodum temporibus Noe, pij etiam malorum consuetudine & conuersatione erant infecti, ac deprauati, sic & Israelitæ Aegyptum iam incolentes, Aegyptiorum quoque idolatriā cum cæteris superstitionibus imbiberunt. Quare nihil aliud sibi pararunt, quàm quod lon-

ANTIQUISSIMA FIDES

go tempore grauiter oppressi libidini Aegyptia-
 cae parere cogebatur. Inuenti sunt tamē in impol-
 luta illa Israelitarum turba nō pauci uiri boni, qui
 patrum suorum antiquam fidem mordicus tenen-
 tes, Aegyptiorum execrandam & detestandā abo-
 minationem letali persequabantur odio. Nam de
 Mose, qui sexagesimo circiter post Ioseph mortē
 anno nascebatur, tale quiddam Paul. scribit Heb.
 11. Per fidem Moses iam grandis, renuit uocari fi-
 lius filiae Pharaonis, potius eligens simul malis
 affici cum populo dei, quam temporarijs peccati
 comodis perfrui, maiores arbitratus diuitias pro-
 brum Christi, quam Aegyptiorū thesauros: respe-
 ctum enim habebat remunerationis. Cæterum
 nemo prorsus erit, qui animo desideret cum Chri-
 sto pati, nisi prius certior factus de passione, norit
 fructū passionis Christi. Ex quo necessario sequi-
 tur, quod Moses fidelem Christi cognitionem te-
 nuerit, etiam in omnibus periculorū & afflictio-
 num procellis. Et ex illius exemplo absq; omni
 dubio facile colligimus, etiā alios complures pios
 iuxta ac fortes in Aegypto extitisse, qui eandem
 quam Moses tenuerint fidem, atque in Aegyptia
 ca illa seruitute fuerint afflicti, quemadmodū &
 posterioribus sæculis pij persecutionē sunt passi:
 puta, temporibus Iudicum, Regum, Iuda & Israe-
 lis: ne quid dicam de Antiocho rege, de Cæsari-
 bus Nerone, Traiano, Domitiano, Maximino, Iu-
 liano, & alijs compluribus, qui ut in pios sæuie-
 rint, scripta ad posteros transmissa multis exemplis

luculētissime docēt. Veruntamē nec impij impune id fecerūt, sed etiā eo ipso tēpore, quo pios affligebant atque premebant, propriæ impietatis, ingrati- tudinis, inobediētiae, idololatriæ, atque aliorum enormium flagitiorum pœnas egregie dederūt.

Cum uero constitutum illud tempus adesset, quod dominus ante multa tempora Abrahamo reuelarat, quemadmodū Genes. 15. legimus, tum deus omnipotens Mosē populo suo ducē præfi- ciens, Israelē suum per signa & prodigia supra modum admiranda ex Aegypto eduxit. Per quæ signa, diuina clementia in primis graphice nobis ob oculos ponit inenarrabilem suam potentiam, deinde benignitatem & misericordiam, qua uti- tur erga suos. Interim tamen & iustitiæ suæ rigo- rem, atque ultionis & uindictæ suæ uehementiā contra hostes submersis Aegyptijs ostēdit, ex quo totus orbis cognoscat, non alium uerum & om- nipotentem esse deum, quā deum Israelis, in cu- ius manu omnia sint: qui sectatores suos ex mera gratia sustentet, atque hostibus suis iustissimo iu- dicio, præmia factis digna retribuatur. Sed præter cæ- tera illud admiratione dignissimū est, quod domi- nus in arduo illo negotio, redemptionē per Chri- stū Iesum filium suū & dominum nostrum futu- ram, admodum euidenter proposuit, atque ueram uim & efficaciam redemptionis typo quodam ex- pressit. Nanque ea ipsa nocte, quæ præcedebat di- em, quo per Mosē educendi & liberandi erant, dominus illis præcipiebat, ut agnum mactarent,

ANTIQUISSIMA FIDES

atque illius sanguine postes & superliminaria illinerent. Fore enim, ut angelus, qui primogenita omnia Aegyptiorum ea nocte interempturus sit, conspecto sanguine, ipsis parcat, Exod. 12. Paulus autem testatur 1. Corinthi. 5. Christum esse Pascha nostrum, qui pro nobis immolatus sit. Et Ioānes Baptista Christum suis discipulis commonstrans, agnū illum esse testatur, qui tollat peccatum mundi. Ex quo facile illud primum colligimus, pecuniam sanguinem primogenitorū Israelis pericula non propulsasse, sed sanguinē benedicti & promissi seminis Christi post multa sæcula immolandi. Deniq; Christi uēturi beneficio & uirtute Israel liberatū esse ex Aegypto. Deinde liberationē illam ex seruitute Aegyptiaca, nihil fuisse aliud quā exemplar & formam ueræ illius liberationis, per quam ē diaboli potestate erepti, & ab æterna morte adserti, per Christum Iesum liberamur, atque in terram illam promissam, hoc est in æternum gaudium, quod deus Adamo, Noe, Abrahamo, Isaac & Iacobo pollicitus est, transferimur. Postquam uerò dominus populū suum ex Aegypto eduxit, atq; etiam sicco pede per mare rubrum traductum eripuit, Pharaonem uerò cum omni exercitu suo aquarum ui oppressit, præcepit populo, ut se purificatione & sanctificatione ad mysterium & rem sanctissimā se præpararet, fore enim ut fœdus cum illis feriat, illos in peculium de cunctis Gentibus sibi delegat, atq; leges & iura præscribat. Id re ipsa exhibuit, nam ipse legem suam
 compo

componens promulgāsque ore suo pronunciauit,
 atque proprijs digitis in duas tabulas lapideas in-
 sculpsit: quarum altera quatuor continebat præce-
 pta, ad gloriam dei spectantia. Quorum primum **1. præcep-**
 hoc est, ut illum solum unicum & uerum deum **ptum.**
 agnoscamus atque ueneremur; & exclusis alijs dijs
 omnem spem & fiduciam in illo solo habeamus
 infixam. Secundo prohibet ne ullū nobis ex ulla **2**
 materia simulachrum aut similitudinem ullarum
 rerum effingamus, quibus seruiamus, diuinumque
 exhibeamus cultum. Tertio cauet ne Augusto & **3**
 illo magnifico uenerandoque nomine dei in uanis
 & uilibus utamur rebus. Quarto præcipit, ut sab **4**
 batum sanctificemus, hoc est, uacantes ab externis
 operibus, in diuinis & ad animæ salutem spectan-
 tibus exerceamur studijs. Altera illa tabula sex
 complectitur præcepta, quæ amorē proximi præ-
 scribunt. Et quemadmodū quatuor illa præcepta
 non aliud postulant, quàm ut deum solum ex to-
 tis uiribus diligamus, ita cōsequētia sex hac sum-
 ma comprehenduntur, Diliges proximum tuum
 tanquam teipsum. Illa uero sic collocantur. **5**
 Quintum in ordine illud est, Honora patrem & ma-
 trem tuam. **6** Sextum, Non occides. **7** Septimum, **8**
 Non committes adulterium. **8** Octauum, Non fa-
 cies furtum. **9** Nonū, Nō dices falsum testimoniū. **9**
 Decimū & ultimum, Quæcunq; proximi tui sunt **10**
 non concupisces. In quibus præceptis omne id
 ad plenum comprehenditur, quod ad uere beatam
 & absolutam uitam sanctorum spectat, quodque

ANTIQUISSIMA FIDES

omnia sacrae literaturae uolumina, de uero cultu dei, deque uera probitate & integritate morum, quam sectari debemus, maxima uerborum copia nobis prescribunt.

Quicumque uero haec decem capita siue praecipra dei diligentius paulo expenderit, eaque contulerit cum dictis et factis sanctorum patriarcharum, qui sane hucusque nullas habuerunt leges scriptas, deprehendet dominum scripta hac lege plane nihil noui coepisse, nihil noui, et quo hactenus caruerunt sancti, inuexisse in orbem, sed uetera magis reparasse, & quod hactenus in mollia corda patrum inscripserat, nunc cum populus lapidea ueluti corda gereret, in lapideas consignasse atque insculpsisse tabulas. Nam quod soli deo seruiendum sit, & praeter illum nulli alij dii uel colendi uel adorandi, primi illi patres firmiter & crediderunt & seruauerunt, quod omnia ipsorum dicta & facta plene testantur. Quantum uero ad simulachra attinet, declarat manifeste Iacobi exemplum, idola ex Mesopotamia allata sub terebyntho defodientis, Gen. 35. quid omnes sanctos facere oporteat & quid hactenus sancti fecerint. Si uero consideremus Abrahami iuramentum, uel ex illis solis patebit, quantae auctoritatis nomen dei apud illos fuerit, quo non, nisi necessitate aliqua coacti, maxima cum reuerentia usi sunt. Sabbati institutio non in monte cum leges ferrentur, sed septimo die creationis mundi primum habuit originem, Gen. 1. Cui patres

tres nimirum acquieuerunt, sabbatum secundum dei uoluntatem rite sanctificantes, Ioan. 7. Ideo uero et significāter dicitur, Memēto ut diem sabbati sanctifices. Cham non honorans patrem Noe, maledictionem accipit, Cain impius in patrem ac fratricidiū committēs, idem quod Cham meretur. Adulteri etiam sub Gentilium magistratibus capite plectebantur. Id uel Abimelech Palestinorum regis uerba Genesis 26. indicant. Si itaque libet argumentari à minori ad maius, liquido patebit, quod si apud Gentes scortationes & adulteria exosa fuerunt, eadem multo magis sanctissimos dei amicos tanquam pestifera horruisse uenena. Furta uero cum omnibus dolis ac fraudibus, quā sanctis fuerint aduersa, uel Gē. liber cap. 13. facile ostendit in historia Loth & Abrahami. Quid enim aliud causæ extitisse existimas, quod pastores utriusq; ad rixas essent promptiores, quā uel aliquorum furta, fraudes & cæteras eius generis infidias? Econtra quā ad fidem & concordiam fuerint proni, actio Iacobi cum Laban prodit, Gen. 29. 30. & sequentibus capitibus. Mendacia & testimonia falsa tam procul à patribus sanctissimis aberant, ut in omnibus rebus in tegetime agendo, atq; fidem seruādo, maximam laudem & gloriam fuerint consecuti. Interim tamen eos, humano more in quibusdam rebus affectuum assultus perpestos quidem esse, sed tamen non succubuisse, quis neget? Omnibus enim notissimum est, castissimj Iosephi factum, qui nihil

ANTIQUISSIMA FIDES

*Christus
ac fides.*

curans petulantissimæ dominæ suæ illecebras,
concubitum eius tanquam dirum quoddam toxi-
cum fugiebat. Ex quo liquido conspicimus, nihil
in hoc decalogo præscriptum esse, quod deus à
patribus non postularit, quodq; illi non summa
fide præstiterint atq; exhibuerint. Dominus itaq;
tabulas legis seruo suo Mosi cõmendans, ut eas
deferret ad populum, non sane nouam & patri-
bus hæctenus incognitam religionem cõdere ac
tradere, sed ueteres ac priscas magis leges, latissi-
me tamen sparsas & nullum in ordinẽ collectas,
iam in compendium recolligere, in ordinem cer-
tum redigere & scripto mandare uoluit, quo &
certæ apud posteros extarent leges scriptæ, & me-
moriam quoq; Israelitarum, quorum animi alio-
qui idololatrarum conuersatione in Aegypto sa-
tis deprauati erant, cõsuleretur. Ad quod confici-
endum nulla alia aut commodior ratio in prom-
ptu erat. Omnes uero ritus, omniaq; instituta, iudi-
cia & iura, quæ legibus hisce tabularibus postea
addita sunt, per se principales leges non sunt, sed
decalago tantũ explanationis gratia addita. Quic-
quid enim spectat ad solidam pietatem, ad legiti-
mum dei cultum, ad ueram atq; perfectam iusti-
tiam, deniq; ad graphicam descriptionem bonæ
& malæ, honestæ & turpis uitæ, id omne in hisce
decem præceptis ad plenum & continetur & ex-
primitur.

Hic obijciat aliquis, Quandoquidẽ decalogus,
ut tu testaris, omnem complectitur ueritatem, qui
fit

fit quod in eo benedicti seminis, patribus promissi, prorsus nulla fit mentio? Haecenus patres sancti, diuinitus edocti, crediderunt se iustitiam & uitam, denique gratiam dei per fidem in benedictum semen, Christum inquam Iesum, non per propria merita, sed per meram dei gratiam consequuturos: Nunc autem prescribuntur leges, quae praecipunt facienda, ac rursus prohibent fugienda: quasi uita & iustitia gratiaque dei nostris operibus atque meritis debeatur: quasi qui haec uel fecerit uel omiserit, uita aeterna aut morte dignus sit. Vbi igitur nunc Christus est? ubi illa Patriarcharum fides & confessio? Hic certe nulla fidei, multa uero operum fit mentio. Ad id respondemus: Haec obiectio non paucos seduxit, ut de gratia dei, deque iustificatione nostri secus atque ueros sectatores dei decet, senserint. Horum impias ineptias (nisi ineptias uocare nimis tenue sit) non mea ratio, sed Pauli electissimi uasis uerba euerterent atque confutabunt, ut hinc non modo lux clarior sed etiam autoritas maior huic negotio accedat. Verba Pauli haec sunt in epistola ad Galatas 3. cap. Fratres secundum hominem dico. Hominis licet testamentum, tamen si sit comprobatum, nemo reijcit, aut illi addit aliquid. Porro Abrahamae dictae sunt promissiones & semini eius. Non dicit & seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de uno, & in semine tuo, qui est Christus. Haecenus Paulus. Quando igitur testamenta & legata hominum tanta apud homines in autoritate sunt, ut ipsis, si modo legitime

ANTIQUISSIMA FIDES

condita confirmataque sint, non liceat quicquam
uel addere uel adimere, sed per omnia & in om-
nibus permaneant inuiolata: quanto æquius iu-
stiusque est ut æterni quoque dei testamentum a-
pud homines permaneant inuiolatum cui nemo
uel tantillum addat aut adimat. Cæterum testa-
mentum cõdidit & confirmauit deus Abrahamæ &
semini eius: quo illi promisit semen, per quod ipsi
& uniuersæ posteritati eius benedictio & salus
contingat. Porro eam salutem & benedictio-
nem apertis & disertis uerbis, non in multos, sed
in unum collocauit. Proinde nephas est huic te-
stamento dei, quod omnem salutem, benedictio-
nem, uitam & iustitiam in uno Christo seruatore
nostro collocat, demonstrat & promittit, & non
in multis, hoc est in nostris uiribus, atque externis
operibus legis, uel tantillum addere aut adimere.
Neque arbitrandum est legem propterea additam esse,
quod Christus suis uiribus suoque merito nos a ca-
cedemonis imperio & tyrannide liberare nõ po-
tuerit, & nobis salus atque iustitia per obseruationem
legis perque opera nostra sit parãda. Sic enim sequi-
tur in Pauli loco iam antè citato: Hoc aut dico (hoc
est, quæ prius adduxi de testamẽto huc tendunt) te-
stamentum ante comprobatum à deo erga Chri-
stum, lex, quæ post annos quadringentos & trigin-
ta cœpit, nõ facit irritum, ut abroget promissionem.
Nam si ex lege est hæreditas, non iam est ex pro-
missione. Atqui Abrahamæ per promissionem do-
nauit deus. Atque hæc Pauli uerba sunt, ex quibus
quiuis

quibus facile colligere potest, omne genus hominum, tantum ex gratia & benignitate dei, perque intercedentem promissionem, citra omnia merita iustificari atque saluari: atque insuper legem promissioni, hoc est testamento dei nil derogare, sed substantiam rei manere integram, æternam nimirum fœlicitatē nobis tanquam gratuitum munus donari. Nunc quærat aliquis, Cum igitur salus etiam ante latam legem satis clarè expofita, atque nulli alijs rei ascripta sit, quàm gratiæ dei, quid impulit deum, ut legem ferret. An non erat testamentum aut promissio patribus facta efficax satis saluti parandæ? Ad hanc interrogationem respondet Paulus hunc in modum, Quid igitur lex? Propter transgressiones addita fuit, donec ueniret semen, cui promissum fuerat. Horum uerborum sensus hic est, Lex non accessit, ut uel promissionem euacuaret uel doceret operibus nostris & non gratuito liberalitè dei dono saluari, sed addita est propter transgressiones. Israelitæ enim in Aegypto idololatrarum diuturna conuersatione corrupti, traditiones patrū, diuinitus acceptas, præuaricantes, eò cæcitatē deuenierant, ut amisso omni pietatis iudicio, nullum amplius discrimen haberent inter pietatem & impietatem, inter æquum & iniquum, ignari etiā in quibus uel salus uel condemnatio cōsisteret. Ideo uerò benignus dominus his legem dedit, ex qua dei uoluntatē discerent, intelligerentque quid peccatū uel iniquum, quid iustū uel æquū sit, denique ut in seipsos descenderent, seipsos

*Quomodo
benedictū
semen in lege
proponatur.*

ANTIQUISSIMA FIDES

agnoscerent, indicioq; legis depræhenderent, ipsi se uiribus destitui, quibus illis opus est qui sancta illa legis opera rite uolunt exprimere, atq; iccirco toti mûdo mediatore summopere opus esse, qui legem perficiens nobis suam iustitiam comunicet. Atq; hoc modo data est lex, ut per ipsam promissio promoveatur, & nos ductu legis ad cognitionem intercessoris Christi perducamur. Sic enim sequitur in uerbis Pauli, Ordinata per angelos, in manu intercessoris. Intercessor autem unius non est, at deus unus est. Lex igitur est aduersus promissiones dei? Absit. Etenim si data fuisset lex quæ uere posset uiuificare, uere ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Cæterum antequam uenisset fides (id est Iesus Christus in quem nos credimus) sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ erat reuelanda. Itaq; lex pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide iustificaremur &c. Ex his Pauli uerbis quiuis facile intelligit quare data sit lex, quæ tantum abest ut promissioni promissi seminis ulla ex parte aduersetur, ut multo potius à nobis ipsis, atque adeo ab omnibus creaturis ad Iesum Christum solum nos abducat. Confirmat itaq; lex primam illam de benedicto semine promissionem, docetq; omnes ueræ salutis & iustitiæ thesauros in benedicto semine collectos, nobis per fidem comunicari. Interim tamen nemo negat legem, regulam aut formam quandam esse, secundum quam omnes uitæ nostræ actiones dirigamus

rigamus. Hæ tamen si fide destituamur, fiantq; ex nostris uiribus, nullam merentur laudem. Si uerò fidem habeamus, exerit ea uires suas, & operatur incessanter bona opera lege præcepta per charitatem. Cæterū deo interim soli omnem gloriam tribuit & honorem, homini ac eius uiribus corruptionem & infirmitatem.

Insuper deus in pōpulo suo uaria operatus est, quibus negotium Iesu Christi euidenter illi ob oculos poneret, è quorum numero est Agnus ille paschalis, cuius paulò ante mentionem fecimus. Huc etiã referendus est serpens ille æneus à Mose in deserto in sublica suspensus: ut quos pupugissent serpentes uenenati, uiso serpente æneo, ui ueneni nō extinguerentur. Clarū etenim est æneum serpentem ueneno infectos non sanasse, sed dominū adumbrare potius uoluisse futura sua mysteria, nimirum daturum aliquando patrem mundi filiū qui in crucem sit affigendus, ut omnes, qui à serpente, diabolo sciltcet, & à peccatis infecti & coinquinati sunt, per fidem in crucifixū dei filium à morte & interitu liberentur. Sic enim legimus Sap. 16. cap. Sed nō in perpetuum ira tua permanet, nam ad correptionem in breui turbati sunt, signum habētes salutis, ad commemorationē mandati legis tuæ. Qui enim cōuersus est, nō per hoc quod uidebat, sanabatur, sed per te omnium saluatorem. His licet planis, clariora tamen proferemus. Dominus Iesus Christus in Euāgelio secundum Ioā. Et sicut Moses, inqt, exaltauit serpentē in

De quibusdam typis Christi referentibus.

ANTIQUISSIMA FIDES

deserto, ita exaltari oportet filiū hominis, ut omnis qui credit, nō pereat, sed habeat uitā æternam.

Huius generis aliud adducit diuus Paulus 1. Corinth. 10. cap. cum ait: Nolim autem uos ignorare fratres, quod patres nostri omnes per mare transierunt, & omnes in Mosen baptizati sunt in nube & mari, & omnes eandē escam spirituales comedebant, & omnes eundem potū spirituales bibebant. Bibebant enim de spirituali, quæ illos comitabatur, petra. Petra uerò fuit Christus. Præterea si quis paulo diligentius expendat explicationem decalogi, præsertim tabulæ prioris, quæ nobis præscribit, quomodo, quæque ratione coram deo uiuendum sit, quomodo illum amare, adorare & colere cōueniat, quo pacto etiam illi seruire & adhærere debeamus, mox deprehendet uniuersum Christi negotium in priore illa tabula ad plenum cōprehendi. Quicquid enim postea ordinatione dei additū est decalogo, de tabernaculo, de sacerdotio, deque sacrificijs & id genus ceremonijs, ad primæ tabulæ explicationem additum est, adeoque ad primam tabulam pertinet. Nam scriptura, quæ est ipsum os dei, hæc omnia sua iura, obseruationes suas, sua præcepta & instituta, suos ritus, suas itē ordinationes & cultus suos appellat. Nūc si quis querat, ac dicat, Cum in confesso sit, dominū esse spiritū, quomodo potest illi externis uisibilibus, denique carnalibus rebus, quales esse cōstat Iudaicas illas ceremonias, seruire? Respōdeo, Externos ritus illos, populo dei sacramentorū & signorū uice
 fu-

De ceremonijs & sacrificijs Iudeorum.

Heb. 10.

fuisse, quibus cœlestia illa bona & inuisibilia ipsi repræsentabantur. Substantia enim & re ipsa hoc nō erāt quod dicebātur. Ex quo sequitur, illos deo neq; seruiuisse, neq; placuisse, q̄ huiuscemodi ritus absq; fide & mētis eleuatione peregerint: ediuerso, qui uere in dominū crediderūt, illi adhæserunt, quorum deniq; corda in altum sublata fuerunt, atque terrenis illis, uisibilibusq; rebus non inhæserunt duntaxat, hos uere placuisse deo. Cæterum quod, Israëlitaē unam tantum aram, eamq; *Altare* in uno tantum loco, in qua hostias immolabant, extruxerunt, ne id quidem mysterio caret: ea quippe ara crucem Christi, qui semel duntaxat & uno in loco pro peccatis totius mundi offerendus erat, præfigurabat. Ideoq; quod summus etiā sacerdos semel in anno tantū ingrediebatur in tabernaculum cum sanguine, significabat Messiam promissum, hoc est dominum nostrum Iesum Christum, in hunc mundum esse uenturum, qui semel effusione sanguinis sui facta, nos patri reconciliet, ac ubi nos plene à peccatis nostris expiarit, ad patrē rursus ascendet. Imō uniuersa sacrificia, omnisq; *Sacrificia* sanguinis effusio, quam in sacris frequentē fuisse sacrosanctæ literæ ubiq; testatur, mortem domini nostri Iesu Christi designarunt. Et quod legimus in ueteri Testamento, nihil sine sanguine purificatum esse, id innuit etiam nostras sordes, non nisi per sanguinem Iesu Christi emundari posse. Et totum illud sacerdotium cum pontifice, cui id mu- *Pacificatus* neris delegatum erat, ut doceret, oraret, intercede-

ANTIQUISSIMA FIDES

ret atque immolaret, Christi officium ceu prototy-
po expressum est, qui in hunc uenit mundum, ut
ipsam nos ueritatem atque iustitiam doceret: deni-
que ut semetipsum deo patri hostiam pro peccatis
nostris offeret, emundatisq; nobis resurgeret ex
mortuis, ascenderet in caelos, cōfidensq; ad dexte-
ram dei patris, ibi pro nobis apud patrem appa-
reret perpetuò, & pro nobis uelut uerus & sum-
mus pontifex populi dei intercederet. Atque hæc
est breuis quædam explicatio figurarum ueteris
Testamenti, adeoq; spiritus uiuificans literæ mor-
tuæ. De quo copiosissime elegantissimeq; dispu-
tauit beatus apostolus Paulus in elegantissima &
doctissima sua Epistola quã scripsit ad Hebræos.

Cæterum ex his omnibus facile possumus in-
telligere, quomodo hi ritus & hæ ceremoniæ ue-
terum fuerint sacramenta: & in quem usum popu-
lo dei tradita sint: non ut externa specie seu litera
aut uisibilibus corporalibusq; rebus deũ qui spiri-
tus est, sibi demereantur. Sed ut sublatis ad res si-
gnificatas animis, ipsam inquam dei gratiam &
misericordiam uera fide apprehenderent. Ex mise-
ricordia enim filiũ suum nobis unigenitũ dedit,
per cuius redemptionẽ saluati sumus. Nam cum
iustissimo iudicio humanum genus condemnare
potuisset propter scelera admissa, pepercit tamẽ ei
propter filium quem pro nobis in mortem tradi-
dit, morteq; eius immerita mortem nostram com-
meritam dissoluit. Cæterum huiusmodi exercitia
animi, & cogitationes pias, quæ ex fide nascun-
tur,

tur, deus probat, taliq; fide uere colitur. In hoc enī prædictos ritus atque ceremonias instituit, ut per externum in illis exercitium, internū hominem formaret, & in fide uera institueret. Quotquot ergo Israelitarum deo placuerunt, non propter literam & externam ceremoniarum obseruationem placuerunt deo, sed propter spiritum & fidem in Christū. Ergo cum sacer coijt cœtus ad celebranda sacra, sancti & pij dei cultores oculos corporis non defigebant in externa duntaxat sacrificia, sed oculos magis animi atque fidei in ipsum Christū dominum intenderunt, atque hæc secū in animis suis reputarunt, Deus certe purgandorum criminū gratia sacrificare iussit, adeoq; nos homines sibi sacrificare iussit, necesse est itaq; nos omnes esse peccatores maximos. Itaq; posset is iure æquissimo, quemadmodū nunc pecudes inter sacrificandum mactantur, & sanguis eorum effunditur, nos quoque non tantū temporaliter affligere, sed animam simul cum corpore in æternam condemnationem præcipitare, ueruntamen misertus nostri, semen promisit Christum Iesum, qui instar pecudis huius, suspensus in crucem, per proprii sanguinis effusionem nos purget, atque sua morte, mortuos nos, uitæ restituat. Id quod non minus certo fiet, quàm hostia nunc in omnium conspectu & mactatur & immolatur. Et quemadmodum sanguis oblatæ pecudis animalis, corporaliter populo aspergitur, ad emundationem peccatorum: sic etiam sanguis Christi, animabus nostris aspersus,

*Quomodo
ueteres fideles
sacris
interfuerit.*

ANTIQUISSIMA FIDES

mundans recreabit nos & restituet uitæ æternæ. Atque ex hac & huiusmodi pia animi cogitatione, fidelique sacrificiorum cōsideratione, uera etiam exorta est pœnitentia, exortum est & gaudiū, exorta cōsolatio, exultatio & laus, ut iā quoque clementissimo deo patri & psallerēt, & officiosissime gratias agerent. Huc pertinet aliquot Psalmi compositi de sacrificijs. Huc pertinent Sermones prophetarum, quibus sacrificia nimirum quod non rite & ex fide peragerētur, reprobarūt. Externus enim illorū sacrificiorum fastus, si absque fide in deum & benedictum semen exerceatur, adeo non prodest quicquam exercentibus, ut etiam abominatio coram deo uideatur. Nunc quærat aliquis, Potuisset ne deus negotium Christi filij sui & ueræ religionis alia ratione, ac minore cum fastu, pompa, & sumptu sacrificiorum & ceremoniarum, populo suo adumbrare proponereque? Ad eam quæstionem sic respondeo, Si populus Israeliticus in Aegypto non fuisset deprauatus per commercium idololatrarum, si denique puritatem & sinceritatem fidei patrum Abrahamæ, Isaac & Iacobi retinisset, nihil haud dubie ceremoniarum accessisset amplius, sed mansisset forma religionis ac fidei prisca, simplex, minime sumptuosa & pauculis contenta ceremonijs: nunc uero uiderāt in Aegypto cultum dei sumptuosum & multis implicitū ritibus: habebant enim illi sua augusta templa, altaria, sacrificia, sacerdotes, festa, ac mundum siue ornatum uarium & præstantissimum. His accede

cedebat, quod in diem ac in toto terrarum orbe idololatria ualde increfcebat, ita ut ferme nulla eſſet gens, quæ non infecta impietate, externum ſibi cultum confingeret quo deo ſeruiret. Quapropter ut deus populum ſuum in officio retineret, in fide, inquam, in deum uerũ & in ſemen benediſtum, & ne ullum dijs alienis honorem tribueret, aut proprios ſibi Aegyptiacosue deos aut Ethnicos cultus effingens reciperet, ceremonias & cultũ illum externũ inuenit, populoq; ſuo tradidit, ut in eo exerceretur, quẽ nulli peregrino deo aut creaturæ, ſed ſoli deo uero exhiberet. Atq; in eo interim totũ ſalutare benediſti ſeminis, Meſſiæ inquã, olim mittendi, negotiũ adumbrare uoluit, donec ueniret & illa impleret, quæ figuræ implenda fore prædicebant, a deoq; & promittebant. Præterea deus pro ſapientia ſua ineffabili, proq; miſericordia & beneuolentiã erga genus humanum maxima, hætenus ſeſe hominum imbecillitati accommodauit, quæ ſpiritualia & cœleſtia negotia rectius intelligit cum per uiſibilia & corporalia ſuffigurãtur. Ideoq; uoluit dominus caſo & carnali populo Iudæorum cœleſtia filij ſui myſteria per huiusmodi temporalia & uiſibilia ſigna adumbrare. Quæ tamen non niſi ad tempus correctionis data ſunt, hoc eſt ceremoniæ ita inſtituta ſunt, ut tunc ruruſus abolerentur, quum Chriſtus ueniens ipſa adimpleret. Proinde cum Chriſtus in mundum uenit, & omnia illa impleuit quæ de ipſo ſcripta & figurata ſunt in lege &

ANTIQUISSIMA FIDES

prophetis, cessant iam figuræ, neque ualent amplius externa illa sacramēta, ut porro sint exercenda à sanctis. Et hæc de ceremonijs.

*De legibus
externis, &
reipub. ad
ministra-
tionem.*

Quod uerò etiam polytica quædam ceremonijs & legibus interseruntur, nō mirandum, præscribunt enim nobis institutiones & iura, quibus ducibus pacifice, tranquille, & in summa rerum fœlicitate tã in urbibus, quàm in agris degamus. Continent enim formam emendi & uendendi. Tradunt rationem quo pacto nos gerere debeamus in bello & in pace. Differunt de iure hæreditario & hæreditatibus adeundis, de supplicijs à sceleratis sumēdis, de iudicijs & iudicibus, de mutuo dato & accepto, deq; huius generis alijs capitibus innumeris. Quæ sanè nemo sanus noua dixerit esse præcepta. Singula enim & uniuersa referuntur ad capita illa sex secundæ decalogi tabulæ, quæ explicant fusissime, ac una interim hac Paulina comprehenduntur sententia, Diliges proximum tuū sicut teipsum. Et in hac Christi domini in Euāgelio dicentis, Omnia igitur quæcunq; uolueritis, ut faciāt uobis homines, eadē et uos facite illis. Cæterū huiusmodi leges ac formulas recte, pacifice, honeste, iuste ac pie uiuendi, etiam sanctissimi patres iam inde à mūdi exordio cordibus insculpta habuerunt. Quas deus per Mosen iam quoq; literis comprehendi ac mundo reuelari uoluit, ne ulla parte necessariæ & sanctæ doctrine destitueretur, aut quisquā ullā suæ posset malitiæ ignorantiam prætexere.

De

HOC uero negotium, quod hactenus tracta-
uimus, non me authorem habet, sed quic-
quid adduximus, ex sacris literis adduximus, imò
ex ore dei desumpsimus. Deus enim Mosen con-
stituit, qui harum rerum omnium certam conscri-
beret historiam, conscriptamq; posteritati relin-
queret, ut esset doctrina & testimonium ueritatis
æternæ. Id uero Moses maxima fide præstitit uni-
uersam historiã quatuor libris cõplectens. Quo-
rum primus liber uulgari uocabulo Genesis ap-
pellatur. In eo omne illud quod notatu dignũ e-
rat, à primis mundi fundamentis usq; ad sua tem-
pora, ex instinctu diuini numinis, miro compen-
dio, sed tamen citra obscuritatem complexus est.
Nanq; in eo describit creationem mundi, gen-
tium uariarum originem: differit de patriarchis
& priscis illis iustis sanctis seruisq; dei, de fide,
uita & conuersatione siue moribus eorũ, de pro-
missionibus atq; operibus dei admirandis. Atq;
hæc omnia ita descripsit sicuti edoctus fuerat ex
spiritu sancto, sicut acceperat à patribus ac quæ-
dam in libris Ægyptiorum legerat. Moses ete-
nim insigniter eruditus fuit in omni sapientia Æ-
gyptiorum, quemadmodum de illo Stephanus
testatur Actorum 7. Reliqui tres libri suorum tem-
porum continent historiam, quam non ex alio-
rum relatione didicerat, sed quam ipse uiderat, &

ANTIQUISSIMA FIDES

cuius magna pars fuerat. Secundus quippe liber
Mosis, qui Exodus, id est, exitus uel egressio co-
gnominatur, describit quomodo Israelitæ ab Aeg-
gyptijs pressi, post suffocatos in mari rubro Aegy-
ptios, liberati ex Aegypto, in terram exierint pro-
missam, legem interim acceperint, deniq; taberna-
culum unâ cum ceremonijs planè mysticis rece-
perint, atq; ex præcepto dei extruxerint. Tertius
liber Mosis, qui Leuiticus dicitur, cõtinet Ius pon-
tificium, sacerdotum inquam institutionem & of-
ficium, qualis ipsos deceat uita, quàm deniq; do-
ctos & rerum diuinarum peritos esse oporteat.
Tradit insuper sacrificiorum ritus, festorum die-
rum celebritates, consuetudines uarias & cæteros
eius generis ritus atq; ceremonias. Quarto libro,
quem nuncupant librum Numerorum, pergit in
contexenda historia, atq; exponit quomodo Israe-
litæ superatis & emensis uastissimi eremi difficul-
tatibus uenerint ad Iordanem. Interim consignat
quo ordine profecti sint, quantus Israelitarum nu-
merus fuerit, præterea quomodo domino & Mo-
si obmurmurantes atq; rebellantes à iustissimo ul-
tore deo sint afflicti. Eodem libro perstringit ali-
quot uictorias Israelitarum, & leges atq; iura ali-
quot uel repetit uel clarius enarrans illustrat feli-
cissime. Hisce libris quatuor adiecit Moses etiam
quintum librum, ueluti Enchiridiõ & auctarium
quoddam, quo omnia suorum temporum gesta
atq; summam etiã totius legis complecti uoluit,
eumq; Deuteronomium appellauit: quem idem &

& in arcam, deo sic dictate, reponere, certisq; temporibus coram frequenti populo recitari iubet, quemadmodum copiosius legis Deut. cap. 31.

In hisce uero quinque libris, quos diuina clementia per Mosen nobis tradidit, prima principia, firmissima fundamenta, atq; dogmata plenissima sacrosanctae fidei nostrae continetur, ecclesiaeq; traduntur. Omnes enim prophetae ad legem respicientes, legiq; dei (quinque utiq; libris Mosi) innitentes sui saeculi hominibus praedicarunt, & posteris clara ingenij monumenta reliquerunt. Sicuti & dominus noster Christus Iesus & discipuli illius ad Mosen ceu ad fontem omnis ueritatis atq; pietatis nos relegarunt. Quinimo non legimus ullum uere sapientem, prudentem, cordatum atq; uere pium hominem de scriptis Mosaicis uel tantillum dubitasse, nedum illa uituperasse. Atq; ex huiusmodi dei & ueritatis ueracissimo fidelissimoq; ministro desumpsimus, quae haecenus in hoc libello nostro tradidimus de antiquissima fide & uera religione. Tantum uero de lege dicere uolui tabularum, quod ea nihil noui tradit, sed sanctam illam longeque uetustissimam dei uoluntatem reparat, adeoque & in literas refert: quod denique tota lex ad Christum respicit, & omnes homines ad Christum ducit. Vnde consequens est, sanctos qui sub lege uixerunt, tamen si legi fuerunt subditi, nihilominus tamen propter fidem in uenturum Messiam fuisse Christianos. Quid enim clarius illo, quod Paulus

ANTIQUISSIMA FIDES

Rom. 10. cap. dicit, Perfectio legis Christus ad iustificationem omni credenti. Et ad Galat. 3. cap. Cæterum antequam uenisset fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ erat reuelanda. Itaque lex pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide iustificaremur. Nouum hoc & inauditum, scio, uidebitur multis hominibus, cæterum firmissime spero cordatiores & religiosiores quosque intelligere, & candidè cõfessuros esse, hanc ueram illam, antiquam piamque theologiam esse, quæ deo patri omnem honorem & gloriam defert per Iesum Christum in spiritu sancto, cui honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Reges Israeliticos sanctos, adeoque uniuersum Israelis populum omnem salutis suæ fiduciam collocasse non in legem sed in Christum Iesum.

CAPVT VIII.

De fide quã Iosua habuit.

POST legem latam, & ceremonias institutas, Moses fidelis ille minister dei nature concedit, natus annos centum & uiginti, atque ex præcepto dei, populum relictum forti & fideli Iosue commendat, ut ipsum post obitum suum ducat & regat: qui sanè typus Christi saluatoris nostri extitit. Quemadmodum enim Israelitæ non per Mosen, sed per Iosuam in desideratissimam illam terram ducuntur: sic & nos quoque non per legis opera, non per nostra merita, sed per gratiam domini nostri Iesu Christi in æternam illam requiem

quem introducimur. Id quod Diuus apostolus Paulus copiosius prosequitur in Epistola ad Heb. 4. capite. Hic Iosue ueram fidem & religionem eiusq; spiritum & legitimum sensum (dubio procul) intactum atq; incontaminatum, quemadmodum à patribus per Mosen, dictante deo, acceperat, seruauit, retinuit, defendit, sed & alijs, ut & ipsi rite seruarent, tradidit & districte mādauit. Quod, & si in multis, tamen in eo præcipue elucescit, quod Rubenitis, Gaditis & dimidiæ tribui Manassis concedere non uolebat, ut aliud altare ad sacra peragenda extruerent, præter unicum illud, quod ex mandato domini extructum erat. In eo nanq; quemadmodum & supra retulimus, uis & Ios. 22. efficaciam, atq; perfectio unicæ crucis, mortis, & sacrificij redemptoris Christi Iesu significabatur. Quapropter Iosue uolebat, ut quicquam cruci & sacrificio Christi adderetur, sed ut omnis honor purificationis & remissionis peccatorum illi soli deferretur.

Quod uero Iosue unā cum alijs iudicibus principibus atq; regibus Israelis ipsum secutis, grauiæua atq; periculosissima bella gessit, quod sæpius collatis signis confligit cum hostibus, quod deniq; multas regiones uastando & populando perdidit, & habitatores omnes excindens inæstimabilem humani sanguinis uim effudit, magistratus certe & principis (instrumentum sese deo operanti præbens) functus est officio: idq; iubente præcipienteue domino, qui certo apud se decreue

*De prælijs
& sanguinis effusione,
quæ apud ueteres extiti t.*

ANTIQUISSIMA FIDES

rat de simulachrorum cultoribus pœnas sumere, atq; impios illos, quos per longanimitatem diu tolerando, atq; ad pœnitentiam sollicitando, nihil profecerat, suorum amicorũ gladijs funditus delere. Voluit idẽ præterea dominus pericula ab hostibus iã populo sancto imminẽtia suorũ sectatorũ armis auertere, atq; suos à ui hostiũ eripere. Iã & propter peccata populi sui sæpius tradebat ipsum in manus et potestatem hostiũ, ut eos castigãs ueluti uirga errantes reduceret in uiam. Tunc itaq; in fœdam conuersi fugam crudelissime cædebantur, & uicti opprimebantur ab impijs idololatriis. Idq; durabat tantisper, donec peccata sua agnoscerent atq; pœnitentiam agendo dominum inuocarent, in solum dominum per benedictum semen spem suam collocarẽt, illum solum adorarent, & quemadmodum præceperat, omnibus idolis & deorum cultibus prorsus ex Israele profligatis, ipsi honeste & pie uiuẽdo seruirent. Quo factõ, salutem illis præstabat, atq; uirtute sua ipsos eripiebat, idq; per ministerium suorum ducum, quibus ut instrumentis suis utebatur. Atq; huius generis bella, liberationes oppressorum, ac sceleratorum hominum supplicia, non fuerunt sine fide carnalia opera, quæ dum necessitas iubet, imitari prorsus non liceat, ut quidam Manicheorum & Anabaptistarum phanatico spiritu rapti, somniant. Nam & Paulus manifestissime inquit, Hebr. xi. cap. Deficiet me tempus commemorantem de Gedeone,

Gedeone, de Barac & Samsone, & Hiephthae, nec non Dauide, Samuele ac prophetis, qui per fidem expugnarunt regna, operati sunt iustitiam, affecuti sunt promissiones, occluserunt ora leonū, extinxerūt uim ignis, effugerunt acies gladij, ualī di facti sunt ex imbecillitate, effecti sunt robusti in bello, incursiones auerterūt exterorum. Quæ opera hæctenus enumerata diuus Paulus tanquam excellentissima fidei opera extollit. Nephias itaq; est ipsa tanquā carnis siue carnalia damnare opera. Nec fidei sanctæ uel hodie aduersum est, cum magistratus subditos, à deo sibi cōmissos, ex bono pietatis & iustitiæ affectu, ab iniurijs defendit, in libertate parua retinet, ut cum pace & tranquillitate rerum suo iure possint uti. Aut etiam cum magī stratus malos, facinorosos, idololatrias, et fidei persequutores plectit, neque permittit ut libidinem usque expleant. Significanter autē moneo, id officij esse eorum in quorum potestatem ab ipso deo traditus est gladius. Alioqui enim Christus Petrū gladium stringentem, ita affatur: Conuerte gladium tuum in uaginam suam: siquidem qui gladium sumunt, gladio etiam peribūt. Illud autem in bellis, quæ populus dei cōtra impios gerit, præcipue nobis ob oculos ponitur, quod dominus ad Euam Genes. 3. dixit, Ego ponam inimicitias inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. Pij enim uere semen Christi sunt, sicut impios & incredulos diaboli semen esse constat. In his duobus maximas discordias usque cernimus. Sed

ANTIQUISSIMA FIDES

tamen in eorum cōfliktu dei uerba confirmari uideamus. Pij enim semper caput serpenti proterunt, licet ipse calcaneis eorū insidietur, hoc est eò propellat, ut post multas & uarias calamitates, quas exantlarunt, huius corpusculi iacturam faciant. Qui enim uere fideles fuerunt, non minus afflictionum & persecutionum, non tantū propter peccata, sed & propter iustitiam & confessionem fidei, etiā ante Christi incarnationē, tempore promissionis, perpesti sunt, quā ij, qui post Christū natū, uero illo gratiæ & perfectionis tēpore fortiter in militia euāgelica militātes, martyrij coronā meruerunt. Parum ergo in sacris literis exercitati sunt, imò ignorantiam suam produnt, qui dicunt ueteris Testamenti populū uictoriosum fuisse populum, & regnis quidem corporalibus illis occupandis natum: populum uerò Christianum siue noui Testamenti calamitosum & omniū iniurijs esse expositum populum, nulli uictoriæ nulliue regnis consequendis natum. Verum differui hac de re copiosius in libello meo, quem ædidi De unico & æterno dei Testamēto. Vtcunq; uero hæc habeant, illud tamen absq; contrauersia certissimū est, ueram fidem, quæ in dubijs & periculosis temporibus modo uincens emicabat, mox uicta opprimebatur, reuera tamen à Iosue administratione per omnium Iudicum gubernationem usque ad Dauidis regis tempora incolumem & inuiolabilem perstitisse.

Quia

Quin & Dauid calamitosus homo fuit, varijs *Dauidis cō*
 ac diutinis afflictionibus atq; ærumnis perpetuo *fessio & fis*
 expositus, ac incessanter exercitatus, donec ad im *des.*
 perij dignitatem perueniret. Hæc uera esse, libri
 Samuelis, cum plerisq; Psalmis, à Rege ipso com-
 positis, testantur. Postquam uero ad regni fastigiū
 euectus esset, idq; per auxilium dei, dicentis, Inue-
 ni hominem secundum cor meum : ita penitus in
 dei uerba iurauit, ut posthabitis alijs negotijs, hoc
 solum curauerit, ut uera fides ante omnia promo-
 ueretur & propagaretur. Cæterum quandoqui-
 dem in Dauidis mentionem incidimus, uisum est
 in transcurso ad Christi gloriam (cui animā cum
 corpore, imò omnia quę in nobis sunt, debemus)
 ornandam, breuibus indicare, quam nam habue-
 rit fidem Dauid rex & propheta dei inclytus, &
 quomodo Christum Iesum dominū nostrum dei
 & hominis filium syncera cōfessione cōfessus sit.
 Id quod nulla alia ratione commodiore potero,
 quàm si Psalmum centesimūnonum explanem,
 cuius uerba hæc sunt,

Dixit dominus domino meo,
 sede à dextris meis, donec ponam
 inimicos tuos scabellum pedum
 tuorum.

IN hoc primo uersu statim in ipso limine tres *Christus ue*
 illas trinitatis personas distinguens confiterur, *rus deus est*
 atque inter hæc Christi naturam diuinam & im-

ANTIQUISSIMA FIDES

perium æternū ac cœleste. Eundem hunc uersum ad hunc modum intellexit, & citauit saluator noster Iesus Christus Matth. 22. Nam cōfiteretur duas quidem personas, sed tamen illas in una atq; inseparabili diuinitatis substantia. Nam dicit, Dixit dominus domino meo. Ea uerba si quis expendat, atque sermonis idioma consideret, nisi planè omni ratione destitutus sit, inficias ire non potest, alium esse qui dicit, & alium esse ad quem dicitur & fit sermo: ex quo necessario sequitur duas esse personas. Cæterum nō est interim nisi unus deus & dominus, pater scilicet & filius: atq; hi duo, pater scilicet qui dicit, & filius ad quem dicitur, sunt ille dominus atque deus, ideoq; unum sunt, unius nimirum substantiæ atque essentiæ, deus utique uiuus, uerus atque æternus. Præterea filius, quod diuinæ substantiæ naturam attinet, patre nihil est inferior. Et cum nequeat esse pater qui non habet filium: deus autem pater sit & æternus quidem pater, necesse est et filium esse æternum. Rursus cum non possit nisi unum esse æternum & infinitum sine principio & fine: pater autē & filius sint sine principio & fine, necesse est patrem & filium unā cum sancto spiritu (qui & ipse infinitus est) unū ac uerū esse deum. Sic enim & Ioan. pronūciauit, In principio (hoc est ab æterno: nequit enim principij principium dari) & uerbū erat apud deum, & deus erat uerbum. Et statim subiungit, Iesum Christum dominum nostrum uerbum illud esse. Sic enim in eodem sequitur, Et uerbum caro factum

etum est. Propterea & propheta Dauid, non sine
 maximis causis filium dei, dominum suum uocat,
 dicens, Dixit dominus domino meo. Principio
 enim Christum propterea dominum suum nuncu-
 pat, quod confitetur & credit, Christum hunc pro-
 missum Abrahamæ & semini eius, suum uerum & na-
 turalem dominum esse, nimirum uerum deum:
 quemadmodum & Thomas fecit, cum diceret Io-
 annis uicesimo, Dominus meus & deus meus.
 Deinde dominum suum disertis uerbis uocat Da-
 uid, quod ex lumbis suis quantum ad carnem na-
 sciturus esset. Christus enim passim in sacris lite-
 ris filius Dauidis nominatur. Suum ergo appel-
 lat, quod de sua adeoq; propria carne esset Chri-
 stus Dauidi nascendus. Quantum ergo ex uer-
 bis minime obscuris colligere licet, duas agno-
 scit in Christo naturas Dauid, diuinam scilicet &
 humanam. Quod uero regnum Christi æternum sit fu-
 turum, & quod humanitatem eius supra omnes,
 ut Paulus ait, cælos euehi oporteat, testatur Da-
 uid hisce uerbis, Sede à dextris meis, donec inimi- *Christi rea-*
 cos tuos ponam scabellum pedum tuorum. Mar- *gnum.*
 cus enim ait 16. cap. Itaq; postquam loquutus fu-
 isset eis, receptus est in cælum, & cõsedit à dextris
 dei. Plura de hac insuper retradidit Paulus 1. Co-
 rinth. 15. cap. Porro necesse est illum esse uerum
 deum, qui æternum regnare debet, & cui omnes
 subijciuntur hostes siue inimici. Sequitur uersus
 secundus.

ANTIQUISSIMA FIDES

Virgam uirtutis tuæ emittet dominus ex Zion, dominaberis in medio inimicorum tuorum.

Prædicatio Christi. Hic loquitur Propheta de prædicatione sancti Euangelij, quæ efficiet ut homines ab idololatria & uita prophana, ad Christum cõuertantur, Christusq; in hoc mûdo in medio hostium suorum regnum obtineat. Priore uersu loquutus est de cœlesti regno Christi, nimirum quod ipse deus uerus æternum uiuere & regnare debeat, nō tantum in hoc sæculo, sed & in futuro sine fine in sæcula sæculorum. In præsentī uerò uersu loquitur de eo regno præcipue quo apud nos in hoc mûdo regnat per Euangelium. Virga enim uel sceptrum uirtutis, Christi Euangelium nobis designat, uim & uirtutē dei, per quam omnes fideles sanctificantur & saluantur, per quam dei hostes deo reconciliantur, ediuerso uerò qua impœnitētes & incorrigibiles prostrati atteruntur. Hinc fit, ut Christus in medio hostium suorum & dominari & triumphare dicatur. Christus præterea is est, qui spiritu oris sui Antichristum aduersus se insurgentem perimit. Verbū uerò illud, ipsa, inquam, prædicatio Euangelij primitus ex Zion uel Hierusalem exiit, atq; in omnem mundum emanauit, quemadmodum Esaias, & Lucas Actorum 1. cap. testantur. Nunc tertius uersus sequitur.

Popu

Populus autem tuus spontaneus
erit in die belli siue exercitus tui.
Ros natiuitatis tuæ est tibi in san-
cto decore ex utero auroræ.

Hiscuerbis regius propheta Dauid magnifi-
cam & uicttricem Christianorum fidem describit.
Cum enim Euangeliũ prædicatur, è uestigio pu-
gna atrocissima exoritur inter pios & impios, in-
ter semen Christi & serpentis, inter idololatrias &
uere religiosos Christi sectatores. In ea dei hostes
dominum nostrũ Iesum Christum in suis mem-
bris, id est fidelibus, crudelissime persecuuntur. Hi
autem spontaneo promptissimoq; animo & ani-
mam & facultates, honorem item & gloriam pro
ueritate & testamẽto dei quibusuis periculis expo-
nunt. Sic enim sancti dei martyres in prima Eccle-
sia, quæ tempore apostolorum cœpit, & quæ pro-
tinus post ipsorum exitum è mundo collecta est,
spõtanea cum animi promptitudine fidem Chri-
sto principi seruauerunt, corporaq; sua tormentis
uarijs subijcientes ultrò in confessione nominis
Iesu Christi expirarũt. Deinde in eodem illo uer-
su purissimam & sanctissimam Christi saluatoris
nostri conceptionem & natiuitatem, eleganti &
apposita similitudine adiecta, depingit, cum dicit,
Natiuitas tua, sancta, & prorsus magna erit, ci-
tra omnem pollutionem, cõtra omnium aliorum
hominum, qui nascuntur, consuetudinẽ: quemad-

*Christi con-
ceptio &
natiuitas.*

ANTIQUISSIMA FIDES

modum enim ros sereno cœlo, ex aurora, tanquã ex utero materno, illibate & purissime nascitur: sic etiam tu, sanctus scilicet sanctorum immaculate ex purissima uirgine nasceris. Verum de hac re qui copiosiora petit, legat 1. cap. Euang. Lucae.

Dominus iurauit & non poenitebit eum, tu es sacerdos in æternũ secundũ ordinẽ Melchisedech.

Pontificatus Christi.

In quarto uersu Christi officium describit Dauid, quod scilicet ordinatus sit à patre unicus & æternus ille sacerdos, qui seipsum pro peccatis totius mundi offerat, qui etiam semper in cõspectu patris appareat, ac precibus suis pro nobis intercedat. Hæc omnia fusius exponit diuus Paulus in epistola ad Hebræos 5. 7. 8. 9. & 10. cap. Atque in hoc uersu præcipue & fundatum & comprehensum est, quod passim in scripturis de merito Christi, de condonatione peccatorum, de iustificatione, de intercessione, deniq; de eo legimus, quod Christus sit unica salus nostra, unicus mediator, unica & uera satisfactio & iustificatio omnium fidelium.

Dominus stat tibi à dextera tua, is in die iræ suæ reges conficiet.

Prosperus Christi successus.

Testatur quintus uersus patrem perpetuò futurum in partibus filij sui, negotiaq; eius fideliter promoturum, reges autem, principes atque magnates

gnates, nisi pœnitentiam egerint, & in Christum crediderint, nisi gratiam illius implorare, quàm iram & vires eius experiri maluerint, multis confectos uulneribus interempturum. Id quod maximo suo tormento & dedecore senserunt Herodes, Nero, Domitianus, Maximinus, Iulianus, ac reliqui quos breuitatis causa non recenseo. Cæterum sequens uersus præcedentem pulchre exponit.

Iudicabit in gentibus, omnia implebit cadaueribus, quando cõtundet capita in multis regionibus.

Christus & gentibus quoque prædicatur, inter quos etiã regnat. In quo equidem negotio multi se Christo opponunt, de quibus tamen memorabilem sumit uindictam. Et quemadmodum rex aliquis hostes suos prælio uincit, atque cæsorũ cadaueribus locum in quo prælium cõmissum est, complet, deinde etiam belli authorem, & sedem, regni utiq; metropolim, aggreditur & oppugnat: ita etiam Christus de suis hostibus ultionem sumit, & potentiam ac imperium eorum proferens subuertit. Id quod palàm conspeximus, in impio illo atq; sanguinolento Romanorum imperio, atque in multis alijs regnis ac dominijs. Præcipue uerò conteret dominus noster Iesus Christus caput atq; potentiã ueteris illius serpentis principis huius sæculi, sicut prædictum est, Genesis cap. 3.

ANTIQUISSIMA FIDES

Idem dominus noster postremo ueniet, ad iudicandum uiuos & mortuos, quo hostes suos sempiterno afficiat supplicio. Septimus & ultimus Psalmi uersus hic est.

De torrente in uia bibet, ac propterea caput attollet.

Nouissimo illo psalmi uersu, passionem Christi & gloriam eius attingit. In uia, inquit, id est, in uita sua, quam aget in hoc calamitoso sæculo, de torrente bibet, id est, innumeras afflictiones calamitatesque exhauriēs patietur. Nam calicem bibere in scripturis significat pati, ac passionis esse consortem: sed ex torrente bibere, est omnigenis afflictionibus adobruui inuolui atque excruciarī, imò flumine quodā calamitatū absorberi ac quodammodo deleri penitus. Quibus sane uerbis ineffabilem cruciatum & infanda tormēta, adeoque ipsam mortem Christi horribilem sed salutarem significare uoluit. At mortem hanc Christi magna consequuta est gloria, resurrectio scilicet & ascensio in cœlos. Gloriæ huius meminit S. Paulus in Epistola ad Philip. 2. cap. cum inquit: Is enim affectus sit in uobis, qui fuit in Christo Iesu, qui cum esset in forma dei, non rapinam arbitratus est, ut esset equalis deo, sed seipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus: & figura repertus ut homo, humilē præbuit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem
autem

autem crucis. Quapropter & deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomē, quod est supra omne nomen &c. Atque hæc de psalmo isto Dauidis dicta sint, deq; sententia eius quam habuit Dauid de Christo Iesu, ac de fide nostra Christiana.

Nunc maxima me tenet admiratio, an quisquā *Collatio fi*
 porro sit, qui post tot & tanta scripturę testimonia *dei Dau-*
 adducta, non intelligat Dauidis fidem profus *dis cum no*
 nihil distare ab illa, quā nos confitemur, cum dici *stra.*
 mus: Credo in unum deū, patrē omnipotentē. Et
 quę sequuntur, noti enim sunt articuli symboli apo-
 stolici. Sacrosanctam enim trinitatē sub una diui-
 na natura, non hoc tātum in Psalmo sed & in 33.
 confitetur cum dicit, Verbo domini cœli firmatū
 sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorū. Illud
 enim certissimum est, unum tantum esse deum
 creatorem cœli & terræ, qui in præsentiarum do-
 minus siue deus, uerbū & spiritus, hoc est trinitas
 appellatur. Præterea nihil est in articulis symboli
 Apostolici, de diuina & humana natura Christi,
 de illius conceptione, natiuitate, passione, cruce &
 morte, deniq; de illius resurrectione, ascensione
 & iudicio extremo, quod non hic psalmus plenif-
 sime uerbis plus quàm apertis contineat. Si quis
 etiam desyderat quippiam de sancta & uniuersa-
 li Ecclesia, de remissione peccatorum, de resurre-
 ctione corporis & uita æterna, idem hic psalmus
 per collectionē deductionēque non obscure da-
 bit: sed & alij eius Psalmi de ijs testabuntur & co-

ANTIQUISSIMA FIDES

piofius & significantius. Propterea necessario fequitur, quod fidem nostram et habuerit Dauid & confessus fit, ac per eam salutē fit indeptus. Certe à patribus propter promissionē ipsi factā maxima cū laude & gloria Pater Christi appellatur. Præterea omnes sancti prophete, qui post Dauidis tempora floruerūt, Dauidis scripta tanq̄ alterius cuiusdā Mosis suspicientes, quā plurima ex hymnis illius testimonia prophetijs suis inseruere. Vix enim alius est, qui Dauide apertius omne negotiū Christi tractarit. Quo nomine haud dubie ampliorē præ alijs Israelitis consequutus est gloriā, laudē atq; honorē. De qua re testabitur Iesus filius Syrach Eccle. 47. cap. Hanc fidem in deum per Iesum Christum, Dauid non ex seipso, sed ex sancto spiritu habuit, deinde ex doctrina & institutione prophetarum, utpote, Samuelis, Nathan, Gad, aliorumq; sacerdotum suorum, qui eius rei cognitionem ex deo, ex patribus, & ex libris Moisaicis hauserant. Qui autem sic credidit, dei patris & filij eius gloriā salutaremq; fidem non sibi soli seruare, sed promouere potius multisq; populis prædicari uoluit. Iccirco fidem illam suam & religionem omnibus suis militibus & militiae præfectis, omnibus suis necessarijs & amicis, omnibus suis aulicis, senatoribus, præsidibus, uniuerso deniq; populo in toto suo regno, tradidit atq; commendauit, tanto cum ardore tantaq; cū fide & diligentia, ut reliquæ doctrinæ & traditionis eius per multa sæcula posteris eius inhærerent. Quotquot

Dauid pro mouet fidē.

quot enim ex illis recte & crediderunt & rēpub. *David exē*
 administrarunt, dicuntur ambulasse in uis *Dauid plum ueræ*
 patris sui. Quotquot autem ueram fidem negli- *fidei.*
 gentes deserebant, & res administrabant impie ac
 scelerate, illis scriptura tale testimonium perhibet,
 quod à uia patris ipsorum Dauidis tanquam spu-
 rij deflexerint. Cuius quidem rei exempla infini-
 ta suppeditant libri Regum & Chronicorum. In
 super Deus Optimus Maximus tã regibus quàm
 populo Israelis propter Dauidem seruum suum
 dilectissimum, id est, propter promissionē, quem
 Dauidi promisit, frequēter parcat, adeoq; propter
 Iesum Christum, quem Ezechiel Dauidē uocat.
 In 3. Reg. 25. cap. de Abia sic scriptum legis, Abia
 ambulauit in omnibus peccatis patris sui, quæ fe-
 cerat ante eum, nec erat cor eius perfectum cum
 domino deo suo, sicut cor Dauid patris eius. Sed
 propter Dauid dedit ei dominus deus suus lu-
 cernam in Hierusalem, ut suscitaret filiū eius post
 ipsum, & staret in Hierusalem, eò quod fecisset Da-
 uid rectum in oculis domini, & non declinasset
 ab omnibus quæ præceperat ei dominus. Cun-
 ctis diebus uitæ suæ, excepto sermone Vriæ He-
 thæi. Ad eundem modum legis & de Ezechia 4.
 Reg. 28. cap. Fecit itaq; quod rectum erat in ocu-
 lis domini, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater
 eius. Fiduciam collocauit in domino deo Israelis,
 adeo ut post eum non fuerit similis ei de cunctis
 regibus Iuda, sed neque in his, qui ante eum fue-
 runt, & adhæsit domino, & non recessit à uestigijs

ANTIQUISSIMA FIDES

eius, fecitque mandata eius, quæ præceperat dominus Mosi. Et de Iosia legimus 4. Reg. 23. Similis illi non fuit ante eum qui reuerteretur ad dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & uniuersa uirtute sua, iuxta omnem legem Mosi: neque post eum surrexit illi similis. Cæterum huius loci explanationem 2. Chronicorum cap. 34. legimus. Octo annorum erat Iosias cum regnare cœpisset: & triginta & uno anno regnauit in Hierusalẽ. Fecitque quod rectum erat in conspectu domini, & ambulauit in uis Dauid patris sui, non declinauit neque ad dexteram neque ad sinistram. Octauo enim anno regni sui, cum adhuc puer esset (sedecim nimirum annorum) cœpit querere deum patris sui Dauid. Et duodecimo anno postquam regnare cœperat, mūdauit Iudam & Hierusalem ab excelsis, & lucis, simulachrisque & sculptilibus. Atque hætenus de eo disputauimus, quod uniuersa domus Israel, & omnes pii reges Iuda, Christo, non legi Mosaicæ cōfisi iusti & salui facti sunt. Si quis autem annorum seu temporum supputationem desiderat, is 3. Regum 6. capite annos quadringentos & octoginta, ab exitu uidelicet Israelis ex Aegypto usque ad quartum annum imperij Solomonis inueniet. Inde autem ad captiuitatem Babylonicam supputantur anni quadringenti ac uigintinouẽ. Qui collati efficiunt annos nongentos & nouem.

Omnes

Omnes sancti prophetae ad Christum suas prophetias dirigunt, atque in eo solo salutem atque iustitiam praedicant.

CAP. IX.

Operae precium uero erit aliquanto altius repetere tempora Regū Iuda & Israelis, quae multam habent similitudinem cum temporibus Iudicum Israeliticorum. Quemadmodum enim deus populo suo sub administratione ducis Iosue primum multas & splendidas uictorias, deinde etiam pacem & rerum tranquillitatem concessit: ita idem dominus Israelitis regnante Dauide maximas, uariasque uictorias, succedente autem patri filio Solomone pacem & felicitatem praclarissimam, imò exemplo carentem, contulit. Et sicut à morte Iosue principis clarissimi gloria & felicitas Israeliticae Reipublicae deficiebat, quod rebellio rebellionem, seditio & persecutio, seditionem & persecutionem exciperet, licet in terra & pacem aliquam & liberatores haberent, Othonielem patre, Ehud, Barac, Gedeonem, Iephthae & Samsone: sic & Israelis gloria & regni maiestas mox à Solomone indies decrefcebat & minuebatur. Decem quippe tribus Israelis à domo Davidis deficientes (adherentibus duabus duntaxat tribubus, Iuda uidelicet & Benjamin, Roboam filio Solomonis ueluti legitimo regi) crearunt sibi non consulto dei oraculo, Ieroboam regem. Vnicum ergo Israelis regnum in duo regna scinditur, regnant pro uno rege duo, sortitur item regnum duo di-

De temporibus prophetarum.

ANTIQUISSIMA FIDES

uerſa nomina, ut illa pars cui Roboam domina-
batur, regnū Iuda, quam uerò tenebat Ieroboam
regnū Israelis diceretur. Hoc uerò rege Ieroboam
ita dictante nouam religionē & nouum cultum
recepit. Nō quod Israelitę deum patrum ſuorum
prorſus negarent atque abijcerent: ſed quod illi
conficto ex ſeipſis cultu extra uerbum dei ad mo-
rem gentilitium ſeruire pergerent. Cæterū quem-
admodum ex paruis initijs res maximæ nāſcun-
tur, ita religionis cultuſq; immutatio, licet colen-
di dei gratia inuētus eſſet, maioris tum impietatis
& idololatriæ cauſa & origo extitit. Subinde enī
altius in profundiffimos idololatriæ gurgites im-
merſi impietate ſeipſos ſuperarunt, ita ut deus uin-
dictam ulterius diſſerre non poſſet, quin regem
Aſſyriorū mitteret, qui regiones eorum populan-
do ac deuāſtando, captiuos ipſos abduceret, ac in
uarias Gentium nationes diſpergeret. Rex Iuda
& tribus Iuda ac Benjamin Israelitis paulō reli-
gioſiores ac præceptorū dei obſeruantiores erant.
Sunt tamen in illis quoque inuenti qui impietate
& cultu ſimulachrorum nō reges modo Israelis,
ſed reges etiam gentilium ſuperſtitioſiſſimos ſu-
perarunt. Propter hos factū eſt ut poſt multa ſcele-
ra admiſſa, uniuerſus Iuda à Nabuchodonofore
deletus partim, partim in captiuitatem Babylo-
nicam grauiffimā miſere abductus ſit. Sed priuſquā
hæc fierent, uidere eſt, in Iuda præſertim, miram &
religionis & politiæ immutationē. Nonnunquā
enim iuſtitia & uera religione oppreſſa, omnis
ini-

iniquitas, uis, superstitio atque idololatria exultabat. Aliquādo iustitia ac fides recuperatis uiribus aduersus iniustitiam & perfidiam insurgens praeualebat, triumphabatque oppressa iniustitia & idololatria. Hoc ipsum factum est, & in Israel temporibus regis Iehu & Heliae prophetae. Quanquam tunc uideatur magis supplicium esse sumptum de iniquis, sceleratis, & idololatriis, quam renouata religio uera. Paucissimi enim poenitentiam egerunt, & serio ueram religionem receperunt. Congruunt haec regum tempora cum temporibus post 300. annos natiuitate domini insequutis. Quibus, iuxta uaticinium Isaiae 49. imperatores atque reges pietatis & uerae religionis studiosissimi ad regiam & imperatoriam dignitatem perueniebant, atque mox idolorum cultu oppresso iustitiam restituebant, ueramque fidem & religionem promouebant. Eos excipiebant rursus alij iniustitiae & idololatriae amatores, omnis uero iustitiae & ueritatis atrocissimi hostes. Ergo grauissime ueram religionem persequuti sunt. Caeterum merita mox & factis suis condigna acceperunt praemia. Tanti uero refert boni ne an mali imperent.

In his autem admirandis rerum mutationibus, regnantibusque diuersis in regnis regibus Iuda & Israelis, prophetae diuinitus missi nunquam defuerunt, qui grauiter accusarent scelera, sceleratos ac idololatriam, ediuerso uero iustitiam & uerum dei cultum traderent. Et statim post Dauidis & Solomonis tempora (in quibus doctissimorum uiro-
rum

ANTIQUISSIMA FIDES

rum & prophetarum copia ingens fuit, quibus & iam dictos reges annumerandos censeo, qui spiritu sapientiæ & prophetiæ insigniter præ cæteris illustres fuerunt, hi quidem, quorum uidelicet Biblia meminerunt sacra, excellentia & uetustate claruerunt. Primum Semeias, qui uixit temporibus Roboam regis Iuda. Deinde Ahias Silonites, qui prophetabat sub Ieroboam. Hunc sequitur Azarias, filius Obed, qui floruit tempore Asa regis Iuda. Ei cõnumeratur Iehu filius Anani, quem propter ueritatis confessionẽ rex Israelis Baasa truculentissime trucidauit. Helias propheta dei maximus, & Micheas filius Iemla, sub Achab & Iosaphat regibus prophetarunt. Et quẽadmodũ tẽporibus Dauidis maximus numerus doctorum hominum erat, sic etiam 2. lib. Paralip. 17. cap. testatur regnante rege Iosaphat eruditissimorum Leuitarum & prophetarum magnã extitisse copiam. Helisæus Iehu rege, Zacharias Ioiadæ filius Ioas rege imperante floruit, à quo etiam postea lapidibus propter ingenuam fidei confessionẽ obrutus est. Verum nulli extant libri, quos his temporibus illi scripserint, & ad posteros transmiserint Prophetæ: tantum extat Prophetia Abdia, quam imperante impio Achab quidam arbitrantur conscriptam. Porro regnum Iudæ obtinentibus, Vsia, Iothan, Ahas, & Ezechia, pleraque pars eorum uixit & prophetauit, quorum libros & sermones hodie habemus reliquos. Sub illis enim prædicarunt uaticinantes, & ea quæ uiua uoce docuerant, scriptis & libris conse

consecrarunt, Ionas, Oseas, Isaias, Ioel, Nahum, Amos & Michæas. Post illos Manasse regnante, Abakuk suam prophetiam & recitauit & scripsit. Iosia regis pietate & sanctimonia iuxta insignis, tempora, Sophonias, Baruch & Jeremias attigerunt. Hunc postremum domino uisum est reseruare, ut calamitates excidij & urbis & templi Hierosolymitani, deinde Babylonicæ captiuitatis miseras uideret, & scriptis consecraret. Porro in exilio Babylónico concionati sunt & cõtionem suam scriptis mandarunt, Ezechiel & Daniel. Post liberationem Israelis ex captiuitate Babylonica, postquam iam in patriam redissent, prophetarum officio & scribendo & docendo defuncti sunt, Ezras, Haggeus, Zacharias, Malachias, & Nehemias. Præter hos iam dictos nimirum & alij fuerunt prædicatores uiri pii & docti, quorum tamen nulla fit in sacris mētio. Verum hi, quos hæctenus enumerauimus, clarissimi fuerunt, per quorum ministerium placuit deo Optimo, Maximo, omnia ea quæ ad salutem fidelium pertinent absolutissime tradere. Ideoque si aliorum etiam prophetarum libri, qui temporum iniuria interciderunt extarent hodie, idem tamen in his traderetur quod in illis de pietate & salute traditum est. Quandoquidem hi qui extant sibi tam probe consentiunt per omnia.

Siue igitur hi nostri sint, quorum scripta extant, siue alij isti, quorum libri ad nos non peruenierunt, omnes tamen uno ore eam doctrinam tradiderunt, eamque confessi sunt fidem, cuius summam iam

*Testimonia
propheta-
rum de Christi-
simo.*

G

ANTIQUISSIMA FIDES

ante complexi sumus, & quam omnes sancti patres, Adam, Noe, Abraham, Moses & David habuerunt: & posteriores quidem tanto clarius quanto magis studuerunt Prophetæ legem exponendo illustrare, eorumque errores, qui legem perperam interpretabantur, euertere. Propterea usque summa cum diligentia homines à litera ad spiritum reuocabant, à ceremonijs & sacrificijs ad Iesum Christum, ab idolorum seruitute ad unius dei cultum, qui ex gratia & misericordia sua, non ex nostris operibus aut meritis nos per promissum semen seruet. Hoc ipsum & Paulus animaduertit, qui propterea dixit in epistola ad Roma. 3. cap. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro in conspectu eius. Per legem enim agnitio peccati. Nunc uero absque lege iustitia dei manifestata est, comprobata tamen testimonio legis & prophetarum. Iustitia, inquam, dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes eos qui credunt. Sic etiam Petrus Actuum 3. cap. ait, Quia & omnes prophetæ à Samuele ac deinceps quotquot locuti sunt, etiam annunciauerunt dies istos. Et Actuum 10. hæc de Christo loquitur: Huic omnes Prophetæ testimoniū ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Ergo qui uel modice in libris prophetarum exercitatus est, non nescit nihil ab apostolis scribi in nouo Testamento de domino Christo Iesu, quod non item legatur in sermonibus prophetarum. Porro qui parum exercitatus est in libris prophetarum

tarum

tarum, is haud dubie obseruauit in nouo Testamento, quod omnes apostoli suam doctrinam de domino Iesu ex lege & prophetis probāt, quodq; ipse dominus Iesus omnia sua scriptis prophetarum cōfirmat, ut taceamus interim, quòd omnes Euāgelistæ passim & frequēter in Euangelio, hac utuntur particula, Et hoc factum est, ut impleretur quod dictum est per prophetā. Verum ne parum exercitati quicquā desyderent, placuit, nunc & paucis quidē præcipuos quosq; articulos fidei nostræ de domino nostro Iesu Christo, ex prophetarum oraculis demonstrare.

De uera diuinitate & humanitate Christi Iesu *Christus uerus deus & homo.*
 domini nostri, qui in Bethlehem Iudææ ex purissima uirgine, quæ genus à Dauide trahat, nasci debeat, prophete id testant. Esaias 7. cap. sic inquit: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabit nomen eius Emmanuel, hoc est, deus nobiscum. Michæas cap. 5. sic dicit: Et tu Bethlehem Ephrata, licet paruula sis in millibus Iuda, attamen ex te mihi egreditur, qui sis dominator in Israel: & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Rursus autem Isaias in cap. 9. testatur, Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius imperium erit super humero eius, & uocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, a modo

ANTIQUISSIMA FIDES

usq; in sempiternum. Iere. item 23. cap. hæc legimus uerba: Ecce dies uenient, dicit dominus, et suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Et hoc est nomē, quo uocabūt eū, Dominus iustus noster, uel deus iustitia nostra.

*De præcur-
sore Chri-
sti.*

De aduentu Ioannis Baptistæ, præcursoris domini nostri Iesu Christi, qui in hoc missus erat, ut populum adhuc rudem institueret, & Christum uiam præpararet, hæc scribit Malachias 3. cap. Ecce ego mittam angelum meum, & præparabit uiam ante faciē meam, et statim ueniet ad templū suum, dominator quem uos queritis, & angelus testamenti, quem uos uultis. Ecce uenit, dicit dominus exercituum: Et quis poterit cogitare diem aduentus eius, &c. Et post illa: Ecce ego mittam uobis Heliam prophetā, antequam dies domini ueniat magnus & horribilis.

*De prædi-
catione &
miraculis
Christi.*

De doctrina & prædicatione Christi, de gratia dei, de remissione peccatorum, deq; signis & miraculis domini, hæc dicit Esaias cap. 61. Spiritus domini super me, eo quod unxerit me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis aperitionem. Ut prædicarem annum placabilem domino, in diem ultionis deo nostro, ut consolarer omnes lugentes, &c. Ezechielis 34. hæc scribuntur, Et suscitabo super ea pastorem unum, qui pascat ea, seruum meum Dauid, ipse pascet ea, &

& erit eis in pastorem. Ego autē ero eis in deum,
 & seruus meus Dauid princeps in medio eorum.
 Ego dominus locutus sum. Rursus autem Isaias
 35. sic inquit: Dicite ijs qui sunt pusillanimes cor-
 de, Fortes este et ne timeatis. Ecce deus uester cum
 uindicta & retributione ueniet: deus ipse ueniet
 & saluabit uos. Tunc aperientur oculi cæcorū, &
 aures surdorum patebūt. Tunc saliet sicut ceruus,
 claudus, & aperta erit lingua mutorum, &c.

De regno Christi, in quo ipse solus regnet to-
 tumq; orbem sibi subiectum habens omnibus im-
 peritet, maiestatem item regiam in eo declaret quod
 a sina uectus urbem ingrediatur Hierosolymo-
 rum, hæc scribit Isaias cap. 2. Et erit in nouissimis
 diebus, præparatus mons domus domini in uerti-
 ce montium, & eleuabitur super colles. Et fluent
 ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi &
 dicent: Venite ascendamus ad montem domini,
 & ad domum dei Iacob, & docebit nos uias suas,
 & ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exi-
 bit lex, & uerbum domini de Hierusalem. Quæ se-
 quuntur ex Danielis cap. 7. desumpsimus: Aspicie-
 bam ergo in uisione noctis, & ecce cum nubibus
 cæli quasi filius hominis ueniebat, & usq; ad an-
 tiquū dierū peruenit, eumq; adduxerunt ante illū.
 Et dedit ei potestatem, honorem & regnum, & o-
 mnes populi, tribus, & linguæ seruient ipsi. Pote-
 stas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & re-
 gnum eius quod non corrumpetur. Isaias ait, 62.
 cap. Et uidebunt gentes iustitiam tuam, & cuncti

*Regnum
Christi.*

34 ANTIQVISSIMA FIDES

reges gloriã tuam. Et uocabitur tibi (ò Zion) no-
men nouum, quod os domini nominauit. Et eris
corona gloriæ in manu domini: & dyadema re-
gni in manu dei tui &c. Et statim subiungit: Tran-
sire transite per portas, præparate uiam populo,
planum facite iter, & à saxis repurgate, & leuate
signum ad populos. Ecce dominus diuulgar usq;
ad fines terræ. Dicite filiæ Sion: Ecce saluator tu-
us uenit, ecce merces eius cum eo, & opus eius co-
ram eo. Et uocabunt eos populum sanctũ redem-
ptos domini. Zacharias uero prophetat ad hunc
modum 9. cap. Exulta satis filia Sion, iubila filia
Hierusalem, ecce rex tuus uenit tibi iustus & sal-
uator, ipse pauper, & ascendens super asinam, &
super pullum filium asinæ. Deinde post uersum
unum atq; alterum subiungit: Et loquetur pacem
Gentibus, & potestas eius à mari usq; ad mare: &
à fluminibus usq; ad fines terræ.

*Passio aut
mors Chri-
sti.*

De morte ac passione Christi Daniel hæc dicit
cap. 9. Et post hebdomadas sexagintaduas excin-
detur Messias ut nihil ei. Vel, Et nihil ei, quod scilicet
iuste impingere possint habebunt: cum inno-
centia eius & testata & manifesta sit omnibus. Isa-
ias iterum sic dicit cap. 50. Dominus deus aperuit
mihi aurem, ego autem rebellis non fui, nec sum
retroactus. Corpus meum dedi percutientibus, &
genas meas uellentibus. Faciem meam non auer-
ti à contumelijs & sputo. Dominus deus auxilia-
tor meus, & ideo non sum confusus: ideo faciem
meam instar filicis obduro, & scio quod non con-
fundar.

fundar. In 53. cap. Christum à Iudæis flagris con-
 scissum, & omnibus modis excruciatū sic depin-
 git: Nō est species ei neq; decor: cū intuemur eum
 nihil habet pulchritudinis, ut cupiamus ipsum.
 Despectus est & contemptissimus uirorum, uir
 inquam dolorum, & qui infirmitatē est expertus.
 Erit ut is à quo absconderet quis faciem, nempe
 cōtemptus ut eum nihili reputemus: cum tamen
 ipse portet nostras infirmitates, & dolores nostros
 ipse baiulet. Nos autem existibamus ipsum per-
 cussum à deo & afflictum. Ipse uerò uulneratus
 est propter transgressiones nostras, & attritus est
 propter iniquitates nostras. Multa enim corre-
 ctionis nostræ ei imposita est, & liuore eius nobis
 medicatum est. Nos omnes tanquam ouis erra-
 uimus, quisque uiam suam sectatus est: dominus
 autem fecit incurrere in ipsum omnium nostrum
 iniquitates. Multatus est & afflictus, nec tamen
 os suum aperuit. Sicut pecus ad mactationem du-
 cetur, & sicut agnus coram tonsoribus suis mu-
 tus est, sic is non aperuit os suum. Et quæ sequun-
 tur. Nam totū illud caput 53. tam graphice Chri-
 sti salutare negotium nobis ob oculos ponit, ut di-
 uis Hieronymus non immerito dixerit Isaiam,
 non tantū prophetam, sed & Euangelistam fuisse
 clarissimum. Zacharias pontificatū & sacrificium
 Christi, 3. capite suæ prophetiæ depingit, prote-
 stans fore ut unico suo sacrificio omnia peccata
 expiet, ac proinde septē oculos in ipsum fore figē-
 dos, id est, omnium eorū oculos conuertendos ad

ANTIQUISSIMA FIDES

Christum, qui pacem & tranquillitatem conscientiarum quærent atque inuenient. Conuersus ergo ad summum pontificem, aliosque sacerdotes sic ait dominus: Audi Iesu sacerdos magne, tu & sodales tui qui ante te sedet, quia uiri portendentes sunt. Ecce enim ego adducam seruum meum german. En enim lapis quem posui ante te Iesu, super lapidem unum oculi sunt septem. Et ecce ego calabo sculpturam eius, ait dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die una. In die illa, dicit dominus exercituum, uocabit uir amicum suum subter uineam & subter ficum.

*Sepultura
& resurre-
ctio Christi*

Sepultura & resurrectio domini nostri IESU Christi in propheta Iona clarissimo euidentissimoque typo exprimitur. Ita enim redemptor noster Iesus Christus, Matth. 12. inquit, Quemadmodum fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus, ac tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terre tribus diebus & tribus noctibus.

*Ascensio
Christi &
missio san-
cti spiritus.*

De ascensione Iesu Christi, deque missione spiritus sancti, Ioel scripsit 2. capite. Cuius testimonio Petrus Actorum 2. cap. utitur.

De uocatione omnium gentium, deque administratione ac statu & forma ecclesiæ sanctæ catholicæ differit celeberrimus propheta Isaias in cap. 49. & inde usque ad prophetiæ suæ finem. Habes ergo Lector pie, prophetas etiam suis temporibus Christum insequentibus sæculis mittendum prædicasse, neque populum Israeliticum pro consequenda iustitia & uita relegasse ad legem propriam
merita,

merita, sed ad Christum, de quo omnia prophetauerunt, quæ mox consequuta sunt. Propterea diuus Petrus epistola 1. cap. 1. dixit, Credentes exultatis gaudio ineffabili & glorificato reportantes finem fidei uestræ, salutem animarum, de qua salute exquisierant, & scrutati sunt prophetæ, qui de futura in uos gratia uaticinati sunt, Scrutantes ad quem, aut cuiusmodi temporis articulum significaret, qui in illis erat spiritus Christi, qui priusquã acciderent, testabatur uenturas in Christum afflictiones, & quæ essent cõsequuturæ, glorias. Quibus & illud reuelatũ est, quod haud sibiipsis, imò nobis ministrarent hæc, quæ nunc annunciata sunt nobis per eos, qui uobis prædicarunt Euangelium, per spiritũ sanctum emissum è cælo &c. In hoc testimonio sanctissimus apostolus Petrus præcipue respexit ad prophetiã Danielis, qui non solum testimonium perhibuit passioni Christi, sed & certum tempus aduentui Messiaë constituit. Nam quemadmodum deus omnibus sæculis à condito mundo benedicti seminis promissionem, maxime in ipsis periculorũ procellis, in mutationibus & innouationibus rerum, renouatam maiore quadam euidencia populo suo proposuit, sicuti factum est temporibus Noe, cum per aquarum inundationem mundum delere cõstituisset, temporibus deinde Abrahami, cum sibi peculiam rem populum deligere instituisset. Rursus tempore Mosis, cum deus sibi ex omnibus gentibus populum deligeret, atque ex Aegypto educeret, ter-

*Quib. tẽpõ
ribus deus
suã de Chri
sto promiss
sionẽ renou
uarit.*

ANTIQUISSIMA FIDES

ramq; Chanaan traderet inhabitandam: sub Da-
 uide, cum omnia in tanto splendore & dignitate,
 tantaq; rerū fœlicitate constituta essent, ut diligen-
 ter præcauendum esset, ne quis opinionem conci-
 peret, Dauidem esse Messiam illum patribus pro-
 missum: ante captiuitatem Babylonicam, atque
 etiam temporibus prophetarum, qui, quemadmo-
 dum prius retulimus, & ore & scriptis dei promif-
 siones confirmarent, ne quis de illis dubitaret, tan-
 quam destructo templo, concremata urbe, popu-
 loq; Israelitico in captiuitatem abducto, ex cuius
 sanguine Christum originem sumpturū dei pro-
 missiones iam multa ante sæcula prædixerant, &
 illæ quoque sublatae ac penitus abolitae uideren-
 tur: Sic etiã in captiuitate, cum populus ex despe-
 ratione fermè cogitare potuisset, penitus actum
 esse de promissionibus dei, deus ex ineffabili sua
 benignitate & clemētia uisione apertissima, quæ
 Messiam promitteret, Danielis cor illuminat, in
 hunc modum, Populus liberabitur ex exilio Ba-
 bylonico, reuertetur aut Hierosolymã, ibiq; tem-
 plū dirutū restaurabit & urbē, tamen maxima cum
 difficultate & molestia. Addit mox, Numerabis
 autem à restaurata urbe usque ad Christi tempo-
 ra, hebdomadas sexaginta & nouem. Porro sexa-
 gintanouem hebdomades conficiūt quadringen-
 tos octoginta & tres annos. Hunc annorū nume-
 rum inuenies, si supputationē in eas à tricesimo se-
 cundo anno Darij Histaspis, qui & Artaxerxes co-
 gnominabatur. Huius enim anno 32. ciuitas per-
 fecta,

*Hæc pro-
 phetia Da-
 nielis 9. ca.
 legitur.*

fecta, eusq; ruinæ restauratæ sunt, teste Nehemia 5. cap. progrediaris autem usque ad quadagesimum secundum imperij Cæsaris Augusti annum, quo Christus natus est, ut Lucas ait Euangelij sui 2. cap. Non contentus erat deus, hunc aduentus Christi articulum Danieli per angelum indicasse, nisi & supplicium quo ab impijs & incredulis præter meritum plectendus esset, adderet, simulq; admoneret, fore, ut omnia sacrificia cum ceremonijs post Christum immolatum cessarent. Fore etiam ut peregrinus populus è remotis partibus orbis adueniat, qui post expugnatam ciuitatem, templum etiam destruat, ac faciem omnium rerum ita inuertat, ut spectaculi scæditas horrorem spectantibus incutiat. Id quod in ultima illa hebdomada intra septuaginta annorum spacium adimpletum est. Quod uel hac ratione colligere lice. Dominus Iesus triginta annorum excursu spacio, ad doctrinam & mortem properabat: tricesimo quippe post natiuitatem anno à Ioanne baptizabatur: dein triennio expleto, cruci affigebatur: postea uero intra annos quadraginta Hierosolyma à Tito & Vespasiano euersa solo æquabatur. Omne uero temporis spacium à captiuitate Babylonica usque ad natiuitatem Christi, annos sexcentos uiginti quinque constituit. Durauit enim captiuitas Babylonica annos septuaginta. Cæterum primo anno Cyri liberabantur captiui. Secundo uero eius anno templi fundamenta prima sunt iacta, cui anno quadagesimosexto summa manus imponebatur, qui

ANTIQUISSIMA FIDES

annus sextus erat Darij. At tricesimosecundo Darij anno, urbs sancta restaurata & perfecta est. Sunt itaq; anni centū quadragintaduo. Quibus si ex Daniele addas annos quadringentos octogintatres, numerum inuenies annorum 625.

De ea fide quæ fuit post Babylonicam captiuitatē. Intra horum annorum spatium sacrosancta nostra fides, unā cum professoribus suis infinitas calamitates exhausit, nam semen serpentis ipsum dei semen, id est populum dei, grauiter ac supra modum afflixit, pressitq;. Nam in Babylone à Babylonijs, rursus apud Medos admodum exercitati, ac ubi è captiuitate rediissent, primū quidem à Persis, mox ab alijs gentilibus tantum non proculcati sunt. Quanquam uerò undique sæuarum in morem procellarū persecutiones & afflictiones miseros quaterent, uicit tamen ueritas perpetuò, Daniele, Haggæo, Zacharia, Ezra, Nehemia, & Malachia, hanc constanter & profitentibus & propugnantibus. Postea supra modū afflictī sunt ab impijsimo Antiocho tempore Machabæorū, post quos tempora subinde & deteriora & periculosa insequuta sunt, donec Aulus Gabinus, Pompeius & Crassus, imperatores Romani, Iudæam armis subactā diuexarent. Eodem tempore uera religio & fides grauiter laborare cœpit. Nam opera serpentis illius ueteris exoriebantur uariæ sectæ in populo dei, puta Pharisæorum ac Sadducæorum, exoriebatur simonia, exoriebantur & falsa dogmata. Quæ omnia dominus noster Iesus Christus aduentu suo in mundum oppugnauit
constan

constātiſſime, ſectas Iudaicas, & ſectis implicitos homines appellans genimina uiperarum, ac ſerpentis progeniē, ſicuti plenius tradit fides hiftoriæ Euangelicæ. Cæterū in hac corruptione & cōſcleratione populi Iſraelitici nō deerāt tamen pijs & honeſti homines, qui pijs & ardentibus uotis deum ipſum uerum, ac Chriſtum domini, & expectarent & toto corde exquirerent, quamuis errores & ſeductiones indies accreſcerent. Horum è numero fuerunt haud dubie Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ, & Simeon ille iuſtus. Zacharias, quippe cum intellexiſſet ex angeli oraculo Chriſtum dominum iam iam aduenturū in mundum in gratias & laudes dei effuſus, ſic canit, Laudandus dominus deus Iſrael, quia uiſitauit & fecit redemptionem populo ſuo. Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo fuerūt prophetarum ſuorum, fore, ut ſeruaremur ab inimicis noſtris, & de manu omniū qui oderunt nos. Ut ueretur miſericordia erga patres noſtros, & memor eſſet Teſtamenti ſui ſancti, præſtaretq̃. Et reliqua quæ Lucæ 1. cap. leguntur. Simeon uero uiſo puero Ieſu, ſuſcepit ipſum in ulnas ſuas, & maximo ineffabiliq̃ cordis deſiderio, clamauit, Nunc dimittis ſeruum tuum domine, ſecundum uerbum tuum in pace. Quia uiderunt oculi mei, ſalutare tuum. Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriā plebis tuæ Iſrael.

ANTIQUISSIMA FIDES

Ad hunc uerò modū corda omniū piorū, qui uixerunt in Testamento ueteri à temporibus Adami usque ad Christū annis ter millibus nongētis et octoginta quatuor, solo Christo Iesu innitebantur, in quem omnem fiduciā suam ac salutis spem collocauerunt, quem unice desiderarūt, per quem & salutem consequuti sunt. Constat itaq; fidem illam nostram Christianam simul cum mundo sumpsisse initium, eamq; unicam, ueram, indubitatamq; fuisse, esse, atque futuram etiam usque ad mundi consummationem.

De Gratiōis Christi temporibus, deq; eo quod ipse testetur totius mundi salutem ex se solo pendere.

CAPVT X.

Quā magna & ardua res fides Christiana sit.

ATQVE haecenus adūbraui uerius quā descriperim plene tempus illud promissionis, quo omnipotens & misericors deus, omnes suos seruos charosq; amicos per benedictum semen dominum nostrum Iesum Christum, non tantum consolatus est, sed & purificauit, & per suam gratiam seruauit. Ex quo didicimus & perspeximus, sacrosanctā fidem in Christum Iesum, quantū ad ueritatē, etiam mūdi initijs nihil cedere: atq; idcirco ipsam esse fidē & religionem antiquissimam, plane indubitata, ueram, atq; sinceram, quam mordicus tenuerint, & in qua deo & seruerint & placuerint omnes sancti Patriarchæ, Adam uidelicet, Seth, Enoch, & Noe, Abraham

ham item Isaac & Iacob, Prophetæ quoque sancti-
 monia et rerum peritia iuxta insignes: quales fue-
 re primum quidē Moses ille magnus & illustris
 omnium Prophetarū antesignanus & princeps,
 unā cū disertissimo eruditissimoque fratre suo Aa-
 rone, deinde qui sequuntur sancti illi sacerdotes
 Eleazarus, Phinees, & alij: quibus addas licebit
 magnificos Duces & Iudices Israelis Iosue, Gede-
 onem cū alijs: iam & uictorijs ac potentia clarissi-
 mos reges, Dauidem, & Ezechiam, Iosaphat & Io-
 siam: quibus rursus annumerabis præclarissimos
 & deo dilectissimos prophetas Samuelem, He-
 liam, Isaiam, Danielelem, Zachariam ac reliquos,
 qui augustam ac sacrosanctam hanc fidei Chri-
 stianæ confessionē, unā cum cæteris omnibus è
 plebe & singulis omnibusque tribubus Israelis nō
 omnino rudibus hominibus tenuere: in eadē illa
 fide seruati sunt quotquot ab initio mundi seruati
 & ad æternā salutem ordinati sunt. Proinde quæ-
 cunque adducuntur ab aduersarijs de sanctitate, uetu-
 state, multitudine, eruditione, cōsilijs, patribus, sta-
 tutis, signis, & miraculis cōtra hanc ueram fidem
 nostram, nullius sunt momēti: id quod facile col-
 liget non omnino stupidus lector ex ijs quæ tra-
 ctauimus hucusque. Et quamuis id quod institui
 nunc absoluerim, hoc est ex scripturis sanctis eui-
 cerim Christianam fidem mox ab ipsis mundi ini-
 tijs & ab ipsa rerū origine durasse, placuit tamen
 breuem Exegeſim ac institutionē subnectere, quæ
 explicet nobis tempus illud gratiæ, quo omnibus

ANTIQUISSIMA FIDES

dei promissionibus satis factum est: rursus quæ de
 monstret, dei institutum neutiquam fuisse per filij
 sui incarnationem, nouam aliquam religionem,
 aut nouam aliquam fidem, & nouã salutis ratio-
 nem mūdo inferre, quæ discrepet ab ea, quæ patri-
 bus diuinitus data fuerat. Præterquam quod nou-
 uum Testamentū non tã planiora quàm pleniora
 omnia habet. Ideo uero sacrificia omnia, figuræ
 omnes, unã cū reliquis ceremonijs prorsus sunt a-
 bolita: nã in Christo omnis est plenitudo ac perfe-
 ctio. Verū hinc nō sequitur, qđ Testamentū uetus
 propter abolitas & oblitteratas figuras & propter
 impletas promissiones protinus reiiciendum sit,
 ut quidam indocti ac stolidi blaterant, quinimo
 maioris precij et estimacionis erit porro apud peri-
 tiores, uel hoc potissimū nomine, quod per Chri-
 sti doctrinam illustrati intelligunt quid figuræ &
 typi significant, quare hæc aut illa diuinitus sic sint
 instituta, & quis uerus eorum usus sit, quis sensus
 genuinus & salutaris. Iam enim maiore cum uili-
 tate & uoluptate quiuis leger Legem & prophe-
 tas: uidet enim quò singula sint referenda, quis
 singulorum sit usus atq; uerus sensus. Ideo autem
 & hac ratione apostoli ipsi, dum per initia prædi-
 cationis suæ Iudæis ueram religionem & Chri-
 stum domini prædicarunt, ex lege & prophetis
 prædicarunt. Id quod creberrime occurrit legenti
 Acta apostolorum. Quid quod ipse etiam domi-
 nus Iesus cum duobus illis discipulis Emaū pro-
 ficiscens, his ita concionabatur, ut corda ipsorum
 flagran-

*Nouum &
 uetus Te-
 stamentum*

flagrantissimo spiritus igne accenderentur. Concionabatur autem ex Mose & prophetis. Nam exorsus, ut ait Lucas, à Mose, & recēdens omnium prophetarum uaticinia, interpretabatur illis ex omnibus scripturis quæ de ipso erant, quod uidelicet Christum hæc pati oportuisset & sic ingredi in gloriam suam. Nexu itaq; arctissimo & ueluti cæna quadam inuicem cōnectuntur utraq; Testamenta, dum alterum se refert ad alterum, atq; alterum pender ex altero, adeo ut alterum sine altero nō possit recte intelligi, ac nouum Testamentum sit ueluti Commentarius ueteris. Quicquid enim lex & Prophetæ obscurius præscribunt, id Christus, cum Apostolis suis interpretatur. Accedamus igitur tandem ad institutum nostrum, ac disseramus iam de tempore illo gratiæ.

Anno quadragesimo secundo Augusti Cæsaris, qui erat annus ter millesimus noningentesimus octogesimusquartus, uel secundum Eusebii supputationem, quinquies millesimus ceteresimus nonagesimus nonus à cōdito mundo, Iesus Christus, benedictum illud semen, in Bethlehē natus est, ex Maria castissima uirgine. Et quātūmuis uerus homo natus fascijs inuolueretur, & reponeretur in præsepi, tamē augustæ eius diuinitatis indicadæ gratia, angelus domini pastoribus magna cum claritate apparet, pacificè illos cōpellans atq; adhortans, ne expauescerent, se enim annuntiare gaudium magnum, omni populo euenturū, atq; his adiicit, hodie illis natū esse Christū dominum

De natiuitate saluatoris nostri Iesu Christi.

ANTIQUISSIMA FIDES

in ciuitate Dauidis. Atque necessariū plane erat primum testimonium ab angelo ferri Christo, ut uel eo nomine omnibus hominibus gratius foret & maiorem autoritatē haberet. Et quandoquidem omnes sancti à condito mundo desyderio desyderarunt promissum illud semen, dicit angelus, se ingens gaudium annuntiare omnibus, hoc est non tantum illis, qui adhuc in uiuis essent, sed & his quoque, qui in fide & spe benedicti seminis nature concessissent, denique illis etiam, qui post multa sæcula in hoc mundo essent nascendi. Ceterum causa excellentissimæ illius lætitiæ hæc erat, quod saluator Iesus Christus (qui promissum illud semen est) natus esset, qui serpentis caput conculcans Satanæ potestatem comminueret, totū mundum à peccato repurgatum, & à condemnatione assertum, pristinæ libertati restitueret. Addit ergo angelus, gaudium illud omni populo euenisse. Dixerat enim ad Abrahamum dominus, In semine tuo benedicentur omnes populi terræ. Hoc uero semen, inquit angelus domini, iam natum est in ciuitate Dauid, nimirum de stirpe Dauid: unde Prophetæ nascendum prædixerunt Messiam, & quo nomine Christum surculum Dauidis nuncuparunt. Atque hæc est gratia illa dei, quod miseros nos atque perditos peccatores, qui iam mortis atque cacodæmonis perquam arctissimis uinculis tenebamur, per filium suum in hunc mundum missum, eripuit. Hoc ipsum est & nouum Testamentum. Nam & Hieremias huic nostræ sententiæ

Quid nouum Testamentū proprie sit.

riæ suo testimonio astipulatur, cum ait prophæ-
 tiæ suæ 31. cap. Dabo legem meam in uisceribus
 illorum, & corde illorū inscribam eam, & ero eis
 in deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et paulo
 post: Omnes cognoscent me à minimo eorum
 usq; ad maximum, ait dominus, quia propitia-
 bor iniquitati eorum, & peccati eorum non me-
 morabor amplius. Perfecta uero hæc peccatorum
 condonatio, non propterea nouū Testamentum
 appellatur quod ueteres nō habuerint peccatorū
 remissionem, sed quod ea promissio, cuius spe &
 fiducia ueteres fouebantur, nunc non modo sit
 renouata, sed plenè exhibita, & iccirco externas
 figuras atq; ceremonias plane esse abolitas. Ea ra-
 tione & hoc modo proponitur dominus noster
 Iesus à patre uniuerso mundo saluator & uita, in
 quo non tantum nos uiuamus, sed omnes illi qui
 ante & post incarnationem ipsius in ipsum cre-
 dunt ab exordio ad finem usq; mundi: ut in solo
 Christo, inquam, omnes saluentur quotquot sala-
 uantur homines.

Porro dum nasceretur Christus, sicuti modo di-
 cere cœperam, & angelus usum & fructum nati-
 uitatis suæ pastoribus exponeret, subito apparuit
 apud illum angelum uniuersus cœlestis militiæ
 exercitus, qui deum laudabat ac dicebat, Gloria in
 altissimis deo, et in terra pax, hominibus bona uo-
 luntas. Quibus nos docuerūt quæ gratitudo, quæ
 accepti beneficij agnitio ex officio homines de-
 ceat, pro eo quod deus cumulatissimum donum

ANTIQUISSIMA FIDES

& beneficium ineffabile nobis nimirum contulit: quod nos deceat deū laudibus uehere, illiq; ex animo fidere, & mutua beneuolentia cum omnibus hominibus cohærere. Et certe finis legis charitas est, ex sincero pectore profecta, ex bona item conscientia, & fide non fucata: quod & Paulus dixit 1. Tim. 1.

*De præcursore Christi
sive Ioanne Baptistæ.*

Anno decimoquinto Tiberij Cæsaris, qui erat annus à condito mundo quater millesimus decimus & quartus, factum est uerbum domini ad Ioannem filium Zachariæ in deserto, qui diuinę uocationi obediens, populo Israelitico uitę pœnitentiam prædicabat, & simul cum ea remissionem peccatorum in Christo Iesu: cui & testimonium ferebat, eum esse perfectionem legis & Prophetarum, uerum deum & hominem, unicum item & æternum saluatorem, qui sui corporis sacrificio totum mūdum à peccatis suis purgaturus esset. Imò illi nō sat erat uerbis illius laudem ebuccinasse, nisi etiam digito commonstraret ac diceret, Ecce agnus dei qui tollit peccatum mundi. Idem omnia iustificationis, uitę & salutis nostrę adeo uni & soli Christo dei filio tribuit, ut apertissime dicat, Qui credit in filium dei, habet uitam æternam. Qui in filium non crediderit, uitam non uidebit, sed ira domini manet in eo. Atque hæc causa erat cur discipulos à se dimissos iuberet Christo adhærere. In ipso uerò officij sui cursu, prorsus nullam mentionem facit ceremoniarum, figurarum, sacrificiorum, tanquã eorum quæ ad uitam & iustitiam

con

consequendā necessaria sint, sed Christum solum manifeste & pure prædicat, quod Euangelica testabitur ueritas apud Ioannem in cap. 1. & 3. apud Matth. in 3. & Luc. in 3.

Quin & dominus ipse accedens ad Ioannem, ab ipso baptizari uoluit. At ubi baptizatus esset, ecce aperti sunt illi cœli, ac spiritus sanctus cœlitus demissus sub specie columbæ, in capite Christi confedit, sed & uox patris è cœlis audita est huiusmodi, Hic est filius meus dilectus, in quo placatus sum. Quæ omnia facta sunt, ut post testimonium angelorum, & Ioānis sanctissimi hominis, etiam dei testimonio cœlitus misso corda nostra confirmarentur, quo tutius securiusq; illi innitētes nos totos ipsi summa cum fiducia committeremus. Post testimonium illi à patre datum, desertum petijt, cum antiquo serpēte pugnaturus. Nā quem admodum perditio nostra in paradiso à tentatione initium sumpsit: ita etiam salutem nostram à tentatione in deserto inchoare Christo seruatori nostro placuit. Et quemadmodū Adam omnium nostrorum pater cibum prohibitum gustauit: ita seruator noster Christus cibo abstinuit minime uetito, sed maxime concessio, ieiunauitq; quadraginta diebus & noctibus totidem, ut damnum quod intulerat Adami intemperantia, abstinentia sua, & precibus sobrijs pensaret. Postea prodijt ad populum, ut officium sibi à patre delegatū exordiretur, Euāgelij uidelicet prædicationem, quam hunc in modum exorsus legitur: Tempus exple-

*De factis
& doctrina
Iesu Chris-
sti.*

ANTIQUISSIMA FIDES

rum est, & regnū dei appropinquauit, propterea
pœnitentiam agite, & credite Euangelio, ut salui
efficiamini. Huic doctrinæ signa addidit, omnis
generis morbos curando, dæmonia expellendo,
resuscitando mortuos, ut uel ex ipsis operibus con-
staret Christum esse omnium rerum dominum,
& uerum totius mundi saluatorem. Interim uerò
dum afflicti, & uariorum morborum generibus
fatigati opem ferret, à sanatis non postulabat sa-
crificia in templo quæ offerrent, neque quicquam
aliud corporalium rerum, præter solam fidem ac
fidutiā in eum, à quo beneficia accepissent. Quip-
pe non alia uox erat, qua frequentius sanatos al-
loqueretur, quàm illa, Si potes credere, bene habe-
bit res. Et iterum, Ecce sanus factus es, ne peccaue-
ris amplius, ne quid deterius tibi contingat: uel
hoc ipso innuens, peccata morborum, omniumq;
causas esse calamitatum. Interim quoq; docet cir-
ca quæ uersetur, & in quibus consistat capitibus
pura ac uera religio, nimirum in uera fide, atque
innocentia uitæ, ut per omnem uitam immacu-
latis nos, sicuti & Iacobus apostolus ait, serue-
mus à mundo. Quæ uerò religio, & uerus dei cul-
tus uideri poterat, eam reiiciens traducit. Cuius
quidem generis sunt, oratio battologia uitiata, hy-
pocritica itē, ambitione q; corrupta ieiunia & elee-
mosynæ. Humanas traditiones, ceu planè inuti-
les ac noxias, sectas item, & sectarum insignia, hy-
pocriticas uestes, apparatus illum externum, pu-
rificationes ac baptismata, & quæ huius generis
alia

alia sunt opera pharisaica, prorsus contemnit atque damnat. Præterea templum media ingreditur luce, ac mēsas nummulariorum subuertit, ipsum æs effundens dispergit, quæcunq; item ad emptionē & uenditionem pertinebant, dissipat: ipsos uerò ementes atque uendētes flagello è funiculis contexto ceu impudētes canes eicit ex templo. Templum enim non in hunc finem diuinitus erat institutum, & ab hominibus extructum, ut emptio- ni & uenditioni seruiret, essetq; spelunca latronū, sed ut uerbum dei in ipso annūciaretur, externus item cultus exerceretur, & publicæ fierent preces siue orationes. Cæterum totius doctrinæ Christi hæc tria potissimum fuere capita: principio quod dūtaxat per ipsum Christū, per passionē ac mortē ipsius, & nō per ullū aliud mediū, remissionē peccatorum, ueram iustitiā, & uitā æternā consequamur. Addit causam, Se enim unicū esse mediatorē inter deum & hominē, unicū sacerdotem, interces- sorem, consolatorem, unicam iustitiam, satisfac- tionem, redemptionē, sanctificationem, unicum item & æternum illud sacrificium, certissimumq; gratiæ pignus & uita, ac salus sempiterna. Testi- monia singularia quibus hæc probantur, legere poteris Ioannis 3. 6. 14. & 16. Deinde docuit Chri- stus deum uere & religiose coli, non ullis sacrifi- cijs aut apparatu & splendore externo, sed chari- tate potius, misericordia & beneficētia. Postremo autem studiose filios dei adhortatur, ut ab omni- bus operibus tenebrarum sibi caueant, ac iustitiæ

ANTIQUISSIMA FIDES

& luci Euangelicę summa cum fide & diligentia studeant. Intra hosce limites uera sanctimonia, hoc est, omnia uere bona opera, deoq; placencia, omnino continentur.

*De passio-
ne et morte
I E S V
Christi.* Postquam uerò uniuersam ueræ iustitiæ & reli-
gionis doctrinam absoluisset, falsam autem reli-
gionem eruendo è latebris, in quibus sub ueri cul-
tus prætextu latuerat, confutasset, ad sacrificium,
quo ipse corpus suum offerat, accingitur, ut hoc
peccata nostra apud patrē omnia expiaret. In quo
negotio peragendo tanquam uerum uerę patien-
tiæ exemplar, hostiæq; spontanea ultrò sese in ho-
stium suorum & proditoris manum tradidit, ob-
uiam illis procedendo, certus, futurum esse, ut ca-
peretur, uinculis cōstringeretur, hinc inde ad prin-
cipes pertraheretur, in quorum cōspectu nullam
æquiritatis aut iustitiæ defensionem inueniret, sed
tantum opprobria, contumelias atque iniurias.
Et certe non temperarunt sibi neque à ui & uio-
lentiā manuū nefandi homines, quin ipsum cæ-
derent, capillis traherent, faciem insuper sputis
deturparent, ac deniq; capitis condemnarent, de-
mum & ad supplicium raperent. Priusquam ta-
men duceretur, corpus flagellis laceratum, non ci-
tra ludibrium purpurea ueste amictum, caput ue-
rò corona ex spinis contexta exornatum decora-
runt scilicet. Hic accedit illud etiam, quod nō tam
propter contumeliam, quàm rei & nouitatem &
truculentiam horrendum est, quod proprijs hu-
meris sanguine madentibus, crucem (graue certe
&

& intollerabile p̄odus) usque ad Caluarię locum portauit, ubi cruci affixus, medium inter duos latrones tenuit, maximos certe & inenarrabiles dolores, à sexta usque ad nonam perferēs; quos cum fortiter hucusq; sustinuisset, erumpens tandem in uocem ualidissimam clamauit, Consummatū est. Cumq; sentiret ex dolorum uehementia uitę finem adesse, Patrem suum cœlestem compellans, ait, Pater, in manus tuas cōmendo spiritū meum. Atque hoc modo preciosissimā sese patri hostiam obtulit pro peccatis nostris, uere utiq; mortuus, ut nos per mortē eius uiueremus. Hanc filij dei mortem protinus quædam consecuta sunt, ex quibus facile colligere licet quisnam fructus fidelibus ex morte domini exoriat. Primo enim uelū illud, quod Sanctuariū siue sanctum à sancto illo sanctorum dirimebat, à summo usque ad imum discissum est. Quo utiq; Christus testatus est, quod per mortem suam, non tam ceremoniæ, quàm cætera, quæ futurorum typum gessere, finem sint sortita, ita ut in posterū nihil ualeant. Præterea quod per mortem eius aditus nobis paratus sit in sancta sanctorum, nimirum in uitam æternam: item quod omnia ea, quæ per tabernaculum, sacrificiorum ritus & instituta adumbrata sunt, absolutissimam perfectionem consecuta sint, ita ut iam nihil amplius supersit in mundo, cui satisfactionem & facultatem consequendę gratiæ dei, remissionisq; peccatorū tribuamus, quàm unicæ cruci seu passioni domini nostri Iesu Christi: deniq; quod cal

ANTIQUISSIMA FIDES

canus semini uirginis quidem contritus sit, hoc est, caro Christi cōcissa atque occisa, sed quod interim etiam serpenti antiquo caput planè sit conculcatum, hoc est omnis potestas, omnēq; ablatū siue ereptum imperium. Quoniam uerò uicit unctus noster, ideo factum est, ut mox à morte eius mortui resurgerent, apparerentq; ciuibus Hierosolymitanis. Nam mors Christi est uita nostra. Posthæc cōsecuti sunt & terræmotus, & scissæ sunt petræ. Siquidem annunciatio mortis Christi, totum mundum conuertit, imò & immutauit, multaq; saxea & prædura pectora emolliuit, quæ sponte receperūt fidem, egeruntq; pœnitentiam. At ubi defuncti corporis latus, militis læcea transuerberatum, aperiretur, adeoq; petra illa (sicut Zacharias futurum prædixerat) exculperetur, profudit aquam & sanguinem. Quo mysterio declaratum est toti mundo manifestissime, quod uera uita & purificatio fidelium exoriatur & profluat ex morte domini nostri I E S U. Aqua enim purgat, in sanguine consistit uita hominis. Porro hoc Christi sanguine precioso omnes hostiæ seu uictimæ cruentæ, adeoq; sanguis omnis è medio sublatu est. Nam ualet & efficax est porro in Ecclesia unicus modo sanguis filij dei, qui per fidem cordibus nostris aspersus, purificat nos ad uitam æternam. Atque hæc passio, hæcq; corporis Christi sacrosancta oblatio, in qua salus & satisfactio pro peccatis totius mundi perfecta est, facta est anno imperij Cæsaris Tyberij 18. qui erat à condito orbe

orbe quater millesimus septimus & decimus, 25.
die mensis Martij.

Cæterum integrum Iesu Christi corpus, à cruce *De gloria*
sumptum, honorificentissime sepultum est. Vnde *& maiesta*
& tertia die resurrexit, sic ut anima corpori ipsius *te Iesu*
rursus coniuncta, & caro eius à mortuis resuscita: *Christi.*
ta, uere resurrexerit, sed iam non amplius corru-
ptibilis atque mortalis, uerum purgata, defecata,
adeoq; clarificata. Nam primitiæ illorum est do-
minus qui ex mortuis resurgunt. *Quemadmodū 1. Cor. 15.*
enim per unum hominem mors irrepsit in mun-
dum: ita per unum hominem est resurrectio mor-
tuorum. Et quemadmodum nos omnes per Ada-
mum anima & corpore morimur: ita plenissime
per dominum nostrum Iesum Christum anima
& corpore restituimur uitæ.

Hanc uitæ spem per resurrectionem suam do-
minus firmissime pectoribus nostris imprimere
uolens, nō protinus à resurrectione sua cœlos con-
scendit, sed per dies quadraginta continuos man-
sit apud discipulos, quos & de resurrectionis ue-
ritate instituit plenissime, ne quid in ipsis remane-
ret dubij aut hæsitacionis. Postquã uerò multis &
euidētibus argumētis demōstrationibusq; uerū
sui corporis resurrectionē comprobasset, simul &
illa cōpleisset, quæ pater cœlestis illum in hoc sæcu-
lo perficere uoluerat, ad montem oliuarū in ocu-
lis discipulorum suorum integer anima & corpo-
re ascendit in cœlum, ubi confedit ad dexteram
patris, habitaturus illic in uera ueri corporis sui

ANTIQUISSIMA FIDES

substantia, usque ad nouissimū diem, in quo, cum eadem rursus apparebit in nubibus cœli, iudicaturus uiuos & mortuos. In eo iudicio transferet omnes eos qui hanc uitam pie & sancte transegerunt, integros (sicut & ipse integer in cœlos receptus est) cum anima & corpore ad uitam sempiternam. Contra uerò omnes eos anima & corpore æternæ damnationi mancipabit, qui iustitiæ & ueritati Christi refragantes, & in serpētis antiquæ ambulantes semitis, impietati & iniustitiæ sese emanciparunt. Atque tum demum perfecte consummabitur salus nostra, cum uidelicet filij dei integri anima & corpore sempiterna cum deo perfruentur requie, per meritum domini nostri Iesu Christi. Cui sit gloria, honor & imperium in omnia sæcula, Amen.

Delectos Christi Iesu apostolos antiquam hanc fidem prædicasse, ipsamq; salutem & uitam non in ullo quàm Iesu Christo annunciasse mundo.

CAP. XI.

Fides apostolica.

AD hunc ergo modum per Christum expleta sunt omnia, quæ Prophetæ instinctu diuini numinis de ipso uaticinati sunt: sic ipse quoq; factus est plena satisfactio, iustitia, uita & salus omnium credentium. Est enim agnus ille dei, qui mox à mūdi primis initijs immolatus est, hoc est, cuius agni uirtus ac redēptio omnes eos, qui omnibus sæculis spem ac fiduciam suam in benedicto

Et semine collocarunt, uere purgauit. In eo itaq; solo uera nostra salus nititur, atq; in hoc summa est uerq; & infallibilis nostrę religionis. Quicumq; hanc inuenerit aut maligne deprauarit, ab eo quoq; deus oculos suos auertet. Quicumq; huic de suo addiderit aliquid, ei quoq; adiciet potentissimus deus dexteram suam ultricem. Quicumq; autem subtraxerint hinc quipiam, ijs quoq; uitam subtrahet dominus. Beatissimi uero felicissimiq; illi sunt qui in sancta hac simplicitate & puritate religiose ambulant, ac in ea perseuerant ad finem usq; uitę, qui inquam uerbum dei audiunt & faciunt, quorum unica spes Iesus Christus est.

Hanc ueram & sempiternam salutem, uoluit *Vocatio de*
 dominus per suos ministros, ad id muneris ele- *posiolorum*
 ctos & destinatos, omnibus populis ac gentibus *& eorundę*
 annuntiari atq; proponi: quippe qui omnibus sa- *munus.*
 nandis uenerat. Annuntiari uero atq; proponi uo-
 luit per sacrosancti Euangelij prædicationē, sacra-
 mentorumq; administrationē. Idcirco enim dum
 adhuc uiueret necdum sese pro nobis in mortem
 obtulisset, apostolos sibi delegit, qui omniū eius
 cum dictorū tū factorū essent testes. Quos (ut ma-
 iori fructu delegatum sibi officium facerent) sum-
 ma diligentia instituit, nec quicquam eorū ipsos
 cglauit, quę ad incolumitatem & salutem ecclesię
 pertinere uidebantur. In euangelio enim ad apo-
 stolos dicit: Vos amici mei estis, si feceritis quę-
 cunq; ego præcipio uobis. Non posthac dico uos
 seruos: quia seruus nescit, quid faciat Dominus.

ANTIQUISSIMA FIDES

Vos autem dixi amicos, quia omnia quę audiui a patre meo, nota feci uobis. Verum cum propter humani corporis imbecillitatem adhuc corda haberent crassiora, ac ideo dictorum Christi minus essent & capaces & memores, absurdaq; multa sibi de regno Christi imaginarentur, terrenū quoddam imperium somniantes, præcepit illis ne discederent Hierosolymis, sed ut expectarent promissum patris, nimirum spiritum sanctum. Hunc uero quinquagesima post suam resurrectionem die, quę decima erat post ascensionem domini, Maij mensis uero decimaquinta, fideliter promissa præstans, misit: quo illuminati, uarijs loquuti sunt linguis, omnium eorum iam memores, quę dominus ipsis prius præceperat. Nam spiritus sanctus non noua apostolos imbuit doctrina, sed eam quam dominus Iesus ex lege & prophetis tradiderat, refricans reduxit in memoriam, sed & illam ipsam illustrauit & cordibus ipsorum penitus infixit. Nam sic dicit in euangelio dominus: Paracletus autem ille, qui est spiritus sanctus, quem spiritum mittet pater meo nomine, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quęcunq; dixi uobis. Ergo dum adhuc apud discipulos ageret dominus ac omne passionis suę negotium ipsis explicaret, mœrore conturbati, portare non poterant, ut ipse in Euangelio dominus ait, quę adhuc fuerant dicenda. Posteaquam uero è terris exaltatus esset in cœlos, inde spiritum ipsis misit, ac illum ipsum spiritum, quo prius imbuti fuerant

Misio sancti spiritus.

rant

rant sancti dei prophetæ, is uero ipsos inducebat in omnem ueritatē doctrinamq; Christianæ fidei absolutissimam.

Cum uero apostoli sancto Christi spiritu iam *De apostolis* donati & ad functionem suam obeundam sic *lica doctrina* instructi essent, intrepide illam prædicationem *na.* exorsi sunt, quæ ut uni Christo tribuit omnia, ita uera duntaxat fide percipitur, & quam hisce uerbis mandarat dominus dicens, Ite in orbem uniuersum & prædicate euangelion omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, &c. Quibus uerbis utraq; illa potissima complexus est capita quæ apostoli ministerio suo tractarunt, prædicationem uidelicet euāgelij & fidei in Christum Iesum, ac administrationem sacramentorum. Qualis autem fuerit prædicatio siue doctrina apostolica, docetur & elucescit in Actibus apostolorum. Sed ut nos quoq; breuem eius summam contexamus. Prædicarunt apostoli pœnitentiam emendationemq; uitæ & remissionem peccatorum per Iesum Christum. Hoc est, ut paulo copiosius & apertius loquar, docuerunt uniuersum genus mortalium perditum, potestati dæmonis uinculisq; peccatorum innexum, maledictum atq; damnatum esse. Deum uero ex gratia nostri miserum, misisse in mūdum filium suum dilectum qui assumpta carne nostra, innocēs moreretur pro noxijs, mortēq; sua nos uiuificaret, & sanguine suo nos ab omnibus ablueret sordibus, ut omnis qui in illum credit non pereat, sed habeat uitam

ANTIQUISSIMA FIDES

æternam. Hanc uero doctrinam suam demonstrabant & comprobabant testimonijs legis & prophetarum, euincentes Iesum Christum crucifixum, quem ipsi prædicabant illud ipsum esse semen benedictum, quod deus patribus promiserit. Quod si cui libet exemplis edoceri euidentioribus, inueniet duorum maximorum apostolorum Petri inquam & Pauli contiones binas, alteram in Actis apostolorum cap. 2. alteram uero in Actis cap. 13. Atque in posteriore hac sua diuus Paulus negotium sanctissimæ fidei nostræ mire extollens altissime repetit, concinnaque expositione deducit illud à temporibus Abrahamæ usque ad Dauidem, à Dauidē rege usque ad Ioannem Baptistam. Simul autem ostendit quod Christus dominus noster passus sit, mortuus sepultus, ac tertia rursus die à mortuis excitatus: quæ omnia mox comprobat propheticis scripturis: postremo autem huiusmodi epilogō cōcludit, Notum igitur uobis sit uiri fratres, quod per hunc uobis remissio peccatorum annuntietur: Et ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Moysi iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur. Huic concioni Paulinæ per omnia similis est & concio siue oratio S. Petri, cuius modo meminimus. Imò uniuersa apostolorum doctrina huc unice tendit, & hunc scopum unice præfixum habet. Ex eo autem deducunt iam & doctrinam de pœnitentia & uitæ emendatione, itē de peccatorum pœnis atque supplicijs. Hinc quoque orationes suas formant, quibus scelera et sceleratos accusant

&

& corripiunt, quibus cessantes urgent atque exhortantur, quibus item cōsternatos erigunt & consolantur, quibus deniq; instituunt sanctos in omnibus operibus bonis, quorum fons uberrimus fides est.

Sacramenta uerò duo sunt, quæ ab ipso domino Iesu instituta & apostolis commendata sunt, ut ea passim in ecclesijs exercentes celebrarent, *De sacræ mentis quibus usi sunt apostoli.* *Matth. 28.* primum uidelicet, & Cœna dominica. De baptismo autē sic loquitur dominus apud Matth. *Matth. 28.* Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcunq; præcepi uobis. Sacramentum alterum in nouissima sua cœna instituit, de cuius institutione ac ritu Euangelica historia talia refert: Vescens autem eis, accepit Iesus panē, & cum egisset gratias, fregit, deditq; discipulis, dicens: Accipite, comedite, Hoc est corpus meū. Et accepto poculo, gratijs actis, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus, qui est noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorū. Huiusmodi uerò sacramentis sub externa & uisibili specie exhibitis, quo nostræ incitię, tarditati, infirmitatiq; consuleretur, uoluit benignus dominus cœlestes & inuisibiles gratiæ suæ thesauros nobis repræsentari, ac quasi ob oculos ponere, non ut mentem & animum uisibilibus hisce (quę semper in sua substantia manent nec transmutantur) intenderemus, affigeremusq;

ANTIQUISSIMA FIDES

sed ut sublatis in altum animis, ea quæ symbolo uisibili significata repræsentatur, uera fide apprehendentes ueneremur, ac perfrueremur etiã. Huiusmodi præterea sacramentis dominus gratiã, benignitatẽ & beneficentiã suam nobis annũciare, probare, ac ueluti testimonio quodam attestari uoluit, quod uidelicet seipsum nobis cum omnibus donis suis donet, quod ipse nos purificet, & peccata nostra abluat, quod ipse animas nostras corpore & sanguine suo cibãs ac potãs reficiat, atq; nos sibi communionẽ & societate indissolubili uniat. Quo fit, ut ipse uiuat in nobis, et nos in ipso. Atq; hæc quidẽ omnia non tantũ imaginantur, sed sentiunt fideles, si modo fidem habeãt uerã, & sacramentum celebrent legitime. Alioqui enim per se non cõiungit nos deo externa sacramentorũ participatio, nisi per fidem illis cõmunicemus. Nam *Act. 15.* iuxta S. Petri sententiam, Fide purificantur corda nostra.

Huiusmodi deniq; sacramentorum institutione uoluit dominus retinere inter mortales memoriã donorum ac beneficiorũ suorum uberrime nobis collatorum, ne unquã nos illorũ obliuisceremur, dum scilicet illa perpetuò ceu publica inter mortales testimonia & memoracula extant, admonẽtia nos interim gratitudinis, ut pro acceptis beneficijs perpetuas agamus gratias, laudemusq; bonitatẽ domini in sæcula. Postremò instituit dominus sacramenta, ut uisibilibus signis populum suum in unam colligeret Ecclesiã, & ut suos debiti admo-
neat

neat officij, nempe quod omnes in unum corpus coadunati mutuo nos diligere, & innocentiae iustitiaeque studere debeamus. Verum illa omnia copiosius & plenius explicantur in scriptis apostolorum. Qui insuper haec sancta domini sacramenta religiose, summa fide, syncere & simpliciter atque citra additionem proprii inuenti, & ipsi usurparunt, & Ecclesijs dei sic tradiderunt administrantque. De baptismo multa reperiuntur exempla in Actibus apostolicis. Cæna domini nostri Iesu Christi abusi fuerat Corinthij, puritate et simplicitate prima non nihil uitiata: quos ut in uiam reduceret Paulus, non alijs utitur medijs, quam simplicibus uerbis ac traditione institutionisque prima domini nostri Iesu Christi, qua cõtentus, prorsus nihil de suo adrexit, quemadmodum 2. Corinth. 11. legimus.

Ad hunc itaque modum sanctissimi apostoli, per *Ecclesia*
 prædicationem Euangelij & sacramentorũ admi- *Christi*
 nistrationem celebrationemque omnes populos ac
 gentes in ecclesiam, cuius caput Christus est, per-
 trahentes collegerunt, adde & cõseruarunt & au-
 xerunt amplissime. Hanc insuper nullis alijs au-
 ctioribus ritibus & ceremonijs onerarunt. Nam
 in Actis apostolorum cap. 2. ubi absolutissima for-
 mula ueræ Christianæ ecclesiae proponitur, inue-
 nimus, cernimusque ante omnia uocationem &
 missionem apostolorum: ex quibus diuus Petrus
 primus omnium Euangelium populo annũtiat,
 docens pœnitentiã & remissionem peccatorum

ANTIQUISSIMA FIDES

in Christo Iesu. Deinde uerò baptizat illos qui nomina dederant Christo, & cupiebant eius nomine & populo per omnia censerì. Mox autem sequitur, quod qui iam Christiani facti erant perseuerarint in doctrina Apostolorum, in communicatione, in fractione panis, & precationibus. Quo in loco sufficienter satis & expresse nobis enumerantur præcipua Christianæ Ecclesiæ, & fidei capita. Doctrina nimirum de pœnitentia & remissione peccatorum in nomine Christi, Baptismus, perseuerantia, & proficiendi studium in doctrina Christi, Oratio siue preces, Cœna dominica, quam in præsentì appellat Fractionem panis, & Communicatio, quæ comprehendit dilectionem, humanitatem, & omnia misericordiæ opera. Cæterum quod Actorum 15. paucula his adijciuntur, ubi uidelicet Gentibus præcipitur ut abstineant à sanguine & suffocato, ad tempus id quidē factum apparet, certe, ut per leuicula hæc & obseruari facillima, maiora scandala cauerentur. Alioqui enim omnes Apostoli, & in primis diuus Paulus, omnes ecclesias summo cum studio adhortati sunt, ut in hac doctrina Ecclesijs tradita constanter perseuerent, caueant autem sibi diligentissime ab additionibus siue traditionibus, nouisq; hominum doctrinis. Nihil enim esse quod æque à recto tramite homines abstrahat. Id quod Paulinæ Epistolæ passim testantur: præcipue uero in Epistola ad Colossenses 2. cap. item ad Philipenses 3. capite. & in 1. Timoth. 4. & 6. cap. Rur
sus

sus Titum 1. cap. Ita autem nunc constat, quod Apostoli domini nostri Iesu Christi nihil noui, id est, nullum nouum doctrinae genus docuerunt, sed illud duntaxat populis suae fidei commissis tradiderunt, quod ut omnibus Gentibus traderent, à domino Iesu Christo acceperunt.

EPILOGO COLLIGITVR
*quod fides Christiana, uera, antiqua, & indubitata
 fides & religio sit, quae semper uincens firmissime
 sit perduratura, oppressis omnibus alijs
 religionibus.*

HAEC sacrosancta, ueneranda, certa & incontaminata fides, quam dominus per electissima sua organa Apostolos in omnium gentium corda plantauit, & per totum terrarum orbem florere fecit, protinus sanè post sanctorum Christi apostolorum decessum uarijs artibus à multis & nepharijs hominibus grauer petita est. Exoriebantur enim uiri prauis, & corruptores, qui perniciosas opiniones gignentes, atque superstitiones uarias reparantes, letales inducebant, atque excitabant sectas. Simul autem crudelissime sauebat in Ecclesia tyrannorum gladius, persecutionibusque truculentissimis exercebantur, imò excidebantur ferè sancti. Verum in hisce periculis & difficultatibus omnibus perpetuo superauit uicique ueritas. Tamen enim ciues urbis satanae & ueteris serpentis, iuxta ingenium indolemque patriarchae sui Caini, caederent, discerperent, & atro-

ANTIQUISSIMA FIDES

eissime sanctos ciuitatis Christi ciues excrucia-
 rent : tamen si pseudoprophetae & idolorum sa-
 cerdotes infanda mala excitarent, totumque concu-
 terent orbem : nihilominus tamen uincens san-
 cta Christi ciuitas clara erexit trophaea . Sed &
 innocentissimi Abelis, fratrumque eius sanguis ef-
 fusus ab impijs, uel hodie loquitur, clamabitque us-
 que in finem mundi ad caelos. Posteaquam uero
 persecutorum immanitas aliquatenus repressa at-
 que sedata esset, & persecutores suae immanitatis
 & sanguinis effusi, ultori deo committas dedissent
 poenas, sed & blasphemias haereses fidei, pijs, docti,
 & fortes Ecclesiarum pastores atque Episcopi uer-
 bo ueritatis iam etiam repressissent, & euidentis-
 sime confutassent, ut Ecclesia nunc pacem habe-
 re uideretur, dedit illa ipsa pax atque tranquilli-
 tas Ecclesiae ingens malum. Tranquillitas enim
 peperit securitatem, securitas socordiam, socor-
 dia uoluptatis studium : quod protinus inseuit,
 cordibusque quam altissime infixit studiū opum,
 imperitandi que cupiditatem. At per avaritiam re-
 gnandi que cupiditatem uenenum plusquam pe-
 stilentissimum in Ecclesiam Christi effusum est.
 Nam ubi Ecclesiarum praesides, & uerbi dei mi-
 nistri attentiores essent cumulandis opibus, quam
 sui officij fidelissime faciendi, & multo diligentio-
 res essent in dominijs acquirendis, quam uerbo
 & doctrina extruendis & conseruandis ecclesijs,
 tandem eò res recidit, ut superstitionem reciperet
 pro religione uera. Vnde protinus exorta est infol-

lix simplicitatis puritatisq; ueræ & antiquæ fidei *Papisticæ*
 obliuio. Tunc ergo nouæ leges & traditiones de *fidei origo.*
 fide & cultu dei cudi & promulgari cœperunt:
 quibus interim sanctissima antiquitas, ritusq; pu-
 rissimi uel deprauabantur, uel nouis institutis ob-
 scurabantur. Ea re factum est, ut quàm remotissi-
 me à doctrina Christiana & rituum simplicitate
 à uia ueritatis ad uia erroris, ad stultas & impias
 ceremonias, imò superstitiones deflexerimus. Ex
 ea corruptione habemus uel hodie abominatio-
 nes, falsum cultum, abusus, errores & disputa-
 tiones de potestate Romani Pontificis, de Indul-
 gentijs, de Missis pro uiuis & defunctis celebra-
 dis, de Merito, uirtute, & intercessione diuorum
 in cœlis, de ueneratione & cultu reliquiarum in
 terris, de cultu simulachrorum, de ornatu & mun-
 do templorum, de mercenario cantu Ecclesiastico
 & emptijs precibus, deq; infœlici & inerti tur-
 ba monstificorum Monachorum. Quæ quidem
 omnia unà cum multis alijs inuentis stolidissimis
 nihil aliud sunt quàm innouationes, deprauatio-
 nesq; priscae institutioni diuinæ contrariæ: utpo-
 te quæ uerbo dei probari nequeunt, atque iccirco
 etiam deo displicent. Inueniuntur tamen perti-
 naces aliquot homines, qui post tam claram ue-
 ritatem adhuc ceu insanientes clamant atque con-
 tendunt de huiusmodi ineptijs, omnibus persua-
 dere uolentes suas illas innouationes atque de-
 prauationes diuinorum rituum, ueram & anti-
 quam fidē esse: licet interim sciant (nisi sua sponte

ANTIQUISSIMA FIDES

scire nolint) has suas uociferationes, quibus simplicioribus imponunt, adeo in ueritate nullum habere fundamentum, ut si uel minimam ingenij uim in iustam rei consyderationem uocarēt, protinus intelligerent se planè nudos mendacium ornare.

Licet autem hæc Papistica religio per aliquot sæcula durarit, atq; uictoriam obtinens, sæpe triumphum pharit, nihilominus tamen omnipotens deus semper suum habuit gregem, quantumuis pusillum, cui sedulos & pios ministros misit, quemadmodum etiam olim factum esse legimus, temporibus Iudicum & Regum in Israele, nec non & tempore captiuitatis Babylonicae. Nunquam tamè grauius laborauit fides uera & religio, quam sub aduentum Christi: quemadmodum & nostro sæculo quo propiores sumus secundo aduentui domini nostri Iesu Christi, eò grauius laborabit fides, ac eò impurius habebūt res mortalium. Nihilominus tamen (ut modo retulimus) omnipotens deus hæctenus ueritatem suam in lucem protulit, quin & hodie profert. At cōtra hanc pontifex Romanus unà cum suis sectatoribus, Machomet item cum suis (sicuti ueros antichristos decet) certantes, omnibus uiribus contendunt antiquam illam fidem & ueram religionem opprimere, & in locum oppressæ suas illas traditiones nouas repone: quas licet patres nostri prisca ignorarint penitus, conātur tamen illi ipsas toti orbi, ceu profectas à deo, antiquas receptasq; ab ecclesia, obtrudere.

dere. Nam uel ex actis historijsq; luce clarius liquet, quid ab annis 600. Papa, & quid à nongentis egerit Machomet. Imò quid Papa uel hodie moliat, & quo Machometanus imperator omnia sua dirigat consilia, nemo nescit nisi qui mente caret. Vt cunq; uero hic minitetur, ferro & igni sæuiat, ac ille quoq; insaniens suam nouam religionem splēdidis quidem, sed falsis titulis ornet, multas annorum centurias numeret, multa consilia, sanctos patres, innumeros diuos, doctores illuminatissimos & plus quàm irrefragabiles, almas item uniuersitates, cō nobia religiosissima, cantus, preces, ieiunia, elemosynas, disciplinam, & huius generis alia enumerans iactitansq; crepet, illis tamen spretis reiectisq; omnibus, recipiamus potius receptamq; teneamus firmissime antiquam illam fidem & religionem ueram, illam inquam quę ab exordio mūdi floruit, qua omnes ab Adamo sancti deo placuerunt, deum dilexerunt atq; coluerunt, eidemq; seruiuerunt legitime. Nescierunt hi religionem Papisticam, utpote nouam & nuper inuentam ab hominibus, nihilominus seruati sunt & placuerunt deo, proinde in eadem fide & religione seruaberis deoq; placebis & tu, tamer si pontificijs legibus non pareas: imò nisi te soli Christo & doctrinæ eius addicaris, Papæ uero renunciaueris penitus, displicebis domino. Quod si ob hanc religionis nostræ simplicitatem & puritatem odiant nos ac persequantur homines huius sæculi, meminerimus oportet, idem

ANTIQUISSIMA FIDES.

euenisse omnibus sanctis dei prophetis, denique
ipsi domino nostro Iesu Christo: qui propediem
ueniet ad iudicium illud extremum, euersurus pe-
nitus Antichristi regnum, quem in presenti spiri-
tu oris sui conficit. Nostra conuersatio non est in
hisce terris, patria nostra cœlum est, ex quo & ser-
uatore[m] expectamus dominum Iesum Christum,
qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut
conforme reddat copori suo glorioso, secundum
efficaciam, qua potest etiam subijcere sibi omnia.


Ei sit gloria honor & imperium in sæcu-
la sæculorum, Amen.


F I N I S.


nig
em
pe
ri-
in
er-
n,
ut
m
a.


TIGVRI APVD CHRIST.
Froschouerum, mense
Aug. Anno
M. D. XLIIII.


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.













Th
1413